



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 26 ad 50

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1761**

**VD18 15558428-001**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53361](#)

Th  
3172

R. 3172

v. 14.

55

Bibl  
Theodosianus

10

10

EXPLANATIO  
IN  
PSALMOS  
AUTHORE  
ROBERTO BELLARMINO,  
EX  
SOCIETATE JESU,  
*S.R.E. Tit. S. MARIÆ in Via.*  
Presbytero Cardinali.

In  
Compendium redacta.  
&  
D. D. Sodalibus Marianis  
in Strenam oblata.

Ab  
alio ejusdem Societatis Sacerdote.

*Colleg. S. J.  
Paderb.  
1772*

Pars. II.

Complectens Psalmos à 26 ad 50.



COLONIÆ,  
Typis CHRISTIANI ROMMERSKIRCHEN,  
in platea Saxonica. 1761.



**PSALMUS XXVI**

**T**itulus & argumentum: *Psalmus David, priusquam liniretur.*

Titulum intellige de unctione, non illâ privatâ, quâ Dævid puer à Samuele inunctus est, sed illâ publicâ, & solenni, quâ post cædem Saulis Rex consecratus est, ut refertur 2. Reg. 2.

Videtur David hunc Psalmum scripsisse in exilio; sed quia post orationem Psalmi præcedentis, Deo revelante, cognoverat, ad majus quoddam regnum, quam sint regna terrena, se vocari, ineffabili desiderio ad cœleste Regnum suspirare, ac temporalia omnia, sive adversa, sive prospera, contemnere cœpit. Convenit hic Psalmus omnibus electis, qui jam inuncti sunt unctione gratiæ, atque ad Regnum cœleste designati, & ad unctionem gloriæ, per quam verè regnare incipient, totâ animi devotione suspirant.

v. 1. Dominus illuminatio mea, & salus mea,  
quem timebo?

Ignorantia , & infirmitas timidum me  
in tribulatione reddebat ; sed cum jam  
Dominus illustraverit mentem meam, me-  
que aperte cernere fecit, nullam tempora-  
lem calamitatem gravem , aut diuturnam

A 2 esse

esse, & amoris divini unguento sanaverit infirmitatem meam, neminem timeo: veritas enim tenebras, & charitas foras mittit timorem.

X. 2. Dominus protector vita mea, à quo trepidabo?

Addit aliud argumentum, cur nihil timeat: Dominus non solum illuminat, & sanat; sed insuper protegit assiduè scuto providentiae, & benevolentiae suae; à quo igitur trepidabo?

X. 3. Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.

X. 4. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Describit effectum protectionis Dei, & praeteritum pro futuro ponit, more Prophetarum, ad designandam rerum certitudinem. Protectione Dei fiet, ut, cùm appropinquabunt super me, quasi prostratum, & dejectum, ii, qui nocere mihi cupiunt, & quasi canes, aut leones famelici carnibus meis saturari desiderant: isti ipsi, qui tribulant me, debiles fient, & corruent: ita conatus suo non mihi, sed sibi nocebunt. Hoc etiam patet in Christo, aliisque S. S.

X. 5. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

X.

¶. 6. Si exurgat adversum me prælium, in  
hoc ego sperabo.

Addit ad ea, quæ dixerat, ut spem, &  
fiduciam plenissimam se in Deo habere de-  
monstret, non solùm se non timere singu-  
los hostes, sed neque integra castra, etiam  
in acie præliantia.

¶. 7. Unam petii à Domino, hanc requiram,  
ut iuhabitem in domo Domini omnibus diebus vite  
meæ.

Explicat radicem suæ confidentiæ in  
Deum, & cur nihil timeat, quæ radix est  
ardens charitas in Deum. Nihil tempora-  
le appeto; non magni facio jacturam om-  
nium aliarum rerum, modò unam rem ha-  
bere merear; hanc unam petii, & petam,  
ut videlicet inhabitem in domo Domini, omnibus  
diebus vite meæ, h.e. quād diu durabit vita  
Sanctorum cum Deo, quæ finè dubio non  
habebit finem.

¶. 8. Ut videam voluptatem Domini, & vi-  
fitem templum ejus.

Docet, cur velit habitare in domo Do-  
mini, quia ibi est perfecta felicitas. Ut  
videam pulchritudinem Dei, ex quâ vi-  
sione ineffabilis voluptas sequitur; deinde  
ut oculis perlustrem totum illud cœleste  
Dei templum, & omnia, quæ in eo sunt.

Neque post visionem Dei , jucundius spectaculum occurtere potest , quam ipsius cœli. Dicitur *templum* , quia assiduè ibi sacrificatur hostia laudis , jubilationis.

*V. 9. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo , in die malorum protexit me , in abscondito tabernaculi sui .*

Quasi brevissimè diceret : ideo audacter peto gloriam , quia percepi gratiam. Loquitur metaphorice , quia David in istâ persecutione Saulis non erat propriè absconditus in tabernaculo ; & sensus est : tempore præsentis vitæ , in quâ dies mali sunt , tam singulari providentiâ Deus me protexit , ac si in abditissimâ parte sui tabernaculi me collocâisset. Ex hâc autem Dei gratiâ concipio spem pertingendi ad domum Dei , quod unum peto .

*V. 10. In petra exaltavit me , & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos .*

Aliâ metaphorâ idem significat. Et certè dum homo seriò meditatur æterna , ardenterque Deum amat , jam est in altissima , & munitissimâ petrâ constitutus , ut nihil ei nocere possit , cum terrena omnia jam illi viluerint.

*V. 11. Circuvi & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis , cantabo , & psalmum dicam Domino .*

Men-

Mente perlustravi omnia opera Dei,  
quæ sunt in cælo, & in terrâ, & magnâ  
voce, ex magnâ admiratione procedente,  
laus sacrificium est  
illi gratissimum; imò deinceps pergam af-  
fiduè idem facere, cantabo &c.

v. 12. Exaudi Domine vocem meam, quæ  
clamavi ad te, miserere mei, & exaudi me.

Redit ad id, quod dixerat v. 7. Exaudi  
vocem illam, quâ clamavi: unam petii &c.  
Miserere mei, hoc exilium ægrè ferentis,  
& exaudi me.

v. 13. Tibi dixit cor meum, exquisivit te fa-  
cies mea, faciem tuam Domine requiram.

v. 14. Ne avertas faciem tuam à me, ne  
declines in ira à servo tuo.

Tibi loquitur desiderium meum: ocu-  
li mentis tuam pulcritudinem requirunt,  
cetera omnia fastidiunt: hoc semper erit  
studium meum, ut me respiciendo illumina-  
nes, & accendas: non cessa me respicere;  
nec sinas me in peccata labi, ne fortè ira-  
tus à me recedas.

v. 15. Adjutor meus esto, ne derelinquas me,  
neque despicias me Deus salutaris meus.

Dissidens autem viribus suis, petit au-  
xilium Dei, ne peccet, & si fortè peccave-  
rit, non projici à facie Dei, seu absolutè

8. ( o )  
relinqui, immo benignè curari, & salvari;  
ideo addit: *Deus salutaris meus.* Salvatoris  
enim est, non despicere, & deserere, sed  
curare & salvare.

V. 16. *Quoniam Pater meus, & mater mea*  
*dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

Magna ratio, cur æquum sit, Deum ad-  
juvare, quia nemo illo amantior. Ego  
sum instar infantis recens nati, quem pa-  
ter, & mater dereliquerunt humi jacentem,  
& omni injuriæ expositum; tu autem  
Domine, me benignissimè collegisti, &  
fovisti. Homo tam debilis, inter tot hos-  
tes, verè infanti comparatur.

V. 17. *Legem pone mihi Domine in viatua,*  
*& dirige me in semitam rectam propter inimicos*  
*meos.*

Quia se comparaverat infanti, quem  
Deus collegerat, rectè jam petit, ut se am-  
bulare doceat. Petit igitur gratiam, seu  
internam unctionem, quæ sibi à Spiritu  
S. persuadeatur, servandam esse Dei le-  
gem; quæ gratia necessaria est ob hosti-  
um multitudinem.

V. 18. *Ne tradideris me in animas tribulan-*  
*tium me, quoniam insurrexerunt in me testes ini-*  
*qui, & mentita est iniquitas sibi.*

Pergit in eadem petitione, ne scil. tra-  
datur

[ o ]

datur in animam , seu voluntatem , & de-  
siderium hostium , præcipuè invisibilium .  
*Insurrexerunt &c.* Homines , dæmones fal-  
sis promissis , minis me ad peccatum dedu-  
cere conati sunt ; sed nemini nocuerunt ,  
nisi sibi .

v. 19. *Credo videre bona Domini , in terra  
viventium.*

Ratio , cur mentita sit iniquitas sibi : ego  
enim certò confido , me in regione illâ , ubi  
mors locum non habet , visurum illa bo-  
na , quæ ipsi etiam Domino bona sunt ,  
quæ illum beatum reddunt , quæ sola  
sunt vera bona .

v. 20. *Exspecta Dominum , viriliter age , &  
confortetur cor tuum , & sustine Dominum.*

Concludit per Apostrophen ad se ip-  
sum : Ergo anima mea , quia desideras in  
domo Dei habitare , quia tam multa pig-  
nora Divini amoris habes , noli deficere  
in tribulationibus ; sed patienter , & cum  
fiduciâ exspecta auxilium , & consolatio-  
nen Domini , hinc excita animum , ex-  
specta cosolatorem , & adjutorem Domi-  
num , qui sinè dubio , cùm sit fidelis , &  
justus , veniens veniet , & non tardabit .

PSAL-

## PSALMUS XXVII.

**T**itulus, & argumentum: *Psalmus, ipsi David.*

Sequitur Emin. Bellar. S. Augustini, & S. Hieronymi expositionem, qui in Personā Christi Psalmum à Davide cantatum fuisse volunt: David enim, qui simul prævidebat passionem, & glorificationem Christi, convenienter ea conjungere potuit: *Sicuti etiam fecit in Psalmo 21.*, cuius hic videretur esse quasi compendium.

**V.** 1. *Ad te Domine clamabo, Deus meus ne fileas à me, ne quando taceas à me, & assimilabor descendantibus in lacum.*

Verba sunt Christi in cruce pendentis, ac postulantis celerem resurrectionem. *Ne fileas à me, h.e. mihi: responde, te facturum, quod petii: ne quando &c. ne forte tu non exaudias, & hinc fiet, ut per omnia similis siam iis, qui post mortem ad inferos descendunt, non resurrecturi, nisi in die novissimo.*

**V.** 2. *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.*

Dicit idem, sed clariùs. *Dum oro &c. in cruce expansis manibus, & sublatis ad cælum.*

**V.**

V. 3. Ne simul trahas me cum peccatoribus,  
& cum operantibus iniquitatem, ne perdas me.

Solus Christus id verè dicere potuit,  
qui solus fuit omnibus modis segregatus à  
peccatoribus: ita justissimè petit, ut non  
judicetur, nec pereat cum peccatoribus;  
sed ipsam potius mortem occidat, & resur-  
gens ex mortuis de mortis Principe, &  
ipsâ morte gloriosè triumphet.

V. 4. Qui loquuntur pacem cum proximo suo,  
mala autem in cordibus eorum.

Describit peccatores ab eo peccato,  
quod est communius. Plurimi volunt vide-  
ri amici, benè velle proximis; & tamen ab  
amore proprio excæcati odio; vel inviden-  
tiā erga eosdem proximos afficiuntur.

V. 5. Da illis secundum opera eorum, & se-  
cundum nequitiam adinventionum ipsorum.

V. 6. Secundum opera manuum eorum tribue  
illis, redde retributionem eorum ipsis.

Non est imprecatio, sed Prophetia, ut  
aliás sæpe monuimus. Afficies eā pœnā,  
quam merentur opera eorum: sicut ipsi ex  
malitiā excogitarunt varios modos vexan-  
di justos; ita tu per tuam sapientiam inve-  
nies modos vexandi peccatores. Ipsi retri-  
buuerunt justis mala pro bonis; tu facies,  
ut hoc illis noceat, non justis.

★.

¶. 7. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus destrues illos, & non edificabis eos.

Jam patet, antè fuisse Prophetiam, non imprecationem, quia ait destrues, & non destrue. Quia non intellexerunt opera Dei, quæque præcipue immediate per se fecit, ut sunt creatio cæli, & terræ, Incarnatio, Resurrectio, Ascensio &c. ideo tu destrues eos, nec unquam in gratiam recipies. Docet, radicem malorum esse, non applicare animum ad prædicta opera Dei: si quis enim ista consideret, vix fieri potest, quin in Dei amorem mirificè inardescat.

¶. 8. Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

Transit ad gloriam Resurrectionis prædicendam. In personâ Christi ait: benedicitur ab omnibus Dominus, quoniam &c.

¶. 9. Dominus adjutor meus, & protector meus, in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.

Explicat, in quo exaudita sit oratio sua. Fretus auxilio, & Dei protectione, non recusavi prælrium cum diabolo, & cum ipsâ morte; nec spe meâ frustratus sum, quia adjuvit me Deus, ut plâne vicerim.

¶. 10. Et restoruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.

De-

( o )  
Describit effectum auxilii : Caro mea,  
quæ per mortem exaruerat, rediit ad flo-  
rem ætatis, sanitatis, lætitiae, venustatis  
maximæ ; & ex voluntate &c. ex corde eum  
laudabo, & gratias agam.

v. 11. Dominus fortitudo plebis suæ, & pro-  
tector salvationum Christi sui est.

Hæc est materia confessionis, nempe  
quod Dominus sit fortitudo plebis suæ : tam  
potenter enim protexit salutem Christi sui,  
qui est caput totius plebis, à quo fortitu-  
do, & salus omnium dependet.

v. 12. Salvum fac populum tuum Domine, &  
benedic hæreditati tuae, & rege eos, & extolle illos  
usque in æternum.

Christo, qui caput est Ecclesiæ, glori-  
ficato, restat, ut corpus ejus, seu populus  
Dei, qui est peculiaris hæreditas Dei,  
quam acquisivit sanguine suo, pariter  
glorificetur. Dicit igitur Christus ad  
Patrem, vel Propheta ad Christum: Sal-  
vum fac &c. ut verò salves, benedic justifi-  
cando, rege conservando, & protegendo  
in viâ, exalta glorificando, glorificatione  
perpetuâ.

### PSALMUS XXVIII.

**T**itulus, & argumentum: *Psalmus David.*  
*in consumatione Tabernaculi.* Non

Non nulli volunt, ad literam in toto feri  
 Psalmo agi de potentia Dei, & velle Davidem hor-  
 tari populum ad laudandum Deum, qui potentiam  
 suam solet manifestare admirandis operibus, qua  
 solo verbo, sive imperio facit. Alii, quorum subli-  
 mior interpretatio, & dignior Davidico Spiritu esse  
 videtur, volunt in hoc Psalmo celebrari Evangelic-  
 am prædicationem. Congruit vero titulus, in  
 consummatione tabernaculi: nam cum David  
 intelligeret tabernaculum fœderis esse figuram Eccle-  
 sia, quæ tabernaculum Dei cum hominibus  
 dicitur in Apocal. C. 22. & simul etiam Spiritu re-  
 velante cognosceret, instrumentum, quo tabernacu-  
 lum hoc novum perficiendum erat, fore prædicatio-  
 nem Evangelicam, ideo in consummatione taberna-  
 culi illius umbratici, Spiritu S. inspirante, can-  
 tavit præconia vocis Domini, quæ tabernaculum  
 verum construitur. Utramque explicationem bre-  
 viter persequitur Bellar.

V. 1. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domi-  
 no, filios arietum.*

1. Excitat filios Dei, h. e. populum Dei  
 peculiarem, cui notus erat Deus, ut po-  
 tentiam Divinam honorent, victimis eo  
 tempore consuetis, & prædicatione vocis  
 & inclinatione corporis.

2. Vos per sanguinem agni immaculati  
 effecti filii Dei, afferte agnos, offerte sa-  
 crifi

( o )

15  
crificium gratiarum actionis, & laudis, ut  
patet ex v. seq.

v. 2. *Afferte Domino gloriam, & honorem;*  
*afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Do-*  
*minum in atrio sancto ejus.*

Declarat sacrificium offerendum. 1.  
Voce, & opere glorificate Dominum;  
imodo & corporis inclinatione illum vene-  
ramini, & per veram adorationem su-  
prenum Dominum agnoscite, & protes-  
tamini.

2. Per atrium sanctum intellige Ecclesi-  
am Catholicam, quae est veluti atrium,  
seu vestibulum tabernaculi cœlestis; sen-  
sus deinde idem est.

v. 3. *Vox Domini super aquas, Deus Ma-*  
*jestatis intonuit, Dominus super aquas multas.*

Causa, cur invitet ad laudandam po-  
tentiam Dei, est, quia vox Domini mira-  
bilia operatur tum in elementis, tum in  
spirituali fabricâ Ecclesiæ.

1. Gen. C. 1. *Facta est vox Domini super*  
*aquas, cum Deus imperavit, ut aquæ di-*  
*viderentur, & congregarentur in locum*  
*unum. h.e. in cavernas terræ, & terra ha-*  
*bitabilis fieret. Deus majestatis intonuit, quia*  
*quomodo tonitruum nos continuo pro-*  
*ternit, & obedire cogit: ita ad imperium*  
*Domini*

Domini continuò aquæ recesserunt in humiliora terræ. Et quia tunc aquæ undique terram cooperiebant, factum est hoc tonitruum super aquas multas.

2. Describitur initium Evangelicæ prædicationis, dum Christus in aquis Jordani est baptizatus: tunc audita est magnifica Dei Vox: *Hic est filius meus &c.*; tunc intonuit super aquas multas, quia institutum Baptisma & data virtus omnibus aquis regenerandi Dei filios.

¶. 4. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.*

1. Vox Domini, dividentis aquas, non fuit inanis, & sine effectu; ut pleraque tonitrua esse solent, quæ nihil, præter ingentem sonitum, habent; sed fuit vox plena virtute, & gloriâ, effectu continuò consequente.

2. Vox Evangelicæ prædicationis, ab ipso Deo inchoatæ, à Christo, & Apostolis propagatæ, non fuit inanis verborum strepitus, qualis multorum Oratorum, & Philosophorum est (sed *in virtute, fuit efficacissima, in magnificentia*) signis atque prodigiis confirmata.

¶. 5. *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.*

1. Transfit ad operationem in aere. Docet mirabilem potentiam Dei , quæ rei tam exili, ac tenui tantam virtutem attribuit , ut etiam maximas arbores , ut sunt in monte Libano , in momento confringat.

2. Cedri Libani , ratione sublimitatis , sunt homines excelsi , sive magnitudine potentiaæ , sive splendore sapientiæ , sive gloriâ eloquentiæ: ratione boni odoris , sunt homines deliciis , & voluptatibus dediti: ratione densitatis , & duritiei , sunt homines obstinati , & pertinaces in paternis erroribus. Has omnes cedros Evangelica prædicatio magnifice confregit , ad humilitatem , mansuetudinem Christianam , & ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos perduxit.

¶. 6. Et comminuet eas tanquam vitulum Libani , & dilectus quemadmodum filius unicornium.

1. Non solum cedros confringet , sed etiam comminuet , ut fragmenta , quæ in varias partes sparguntur , exiliant , sicut salit vitulus per montem Libani , & ut salit filius unicornium: hic dicitur *dilectus* , quia speciosum , & amabile animal est , præsertim quando juvenculus unicornis est.

B

2. Evan-

2. Evangelica prædicatio non solum homines potentes, & sapientes humilabit, sed etiam rediget ad parvitatem exigui vituli, qui pascitur in monte Libano. Per *vitulum*, intellige Christum, qui non solum humilis, & mansuetus fuit, more lactentis vituli, sed etiam immolatus in sacrificium Deo. *Et dilectus &c.* tunc, quando cedri Libani confractæ fuerint apparabit *dilectus*, qui est Christus, dilectissimus Patri, & desideratus cunctis gentibus; apparebit, inquam, non amplius ut inermis vitulus, sed ut filius fortissimi unicornis. Majestas enim Divina, & omnipotentia Christi tunc primùm apparere cœpit, cum per Evangelicam prædicacionem piscatorum, Oratores, & Philosophi, & ipsi etiam Principes mundi credere cœperunt in Christum. De viribus unicornis, sive Rhinocerotis, vide Job. 39.

¶. 7. *Vox Domini intercidentis flamمام ignis, vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades.*

Transit ad operationem in igne, & terrâ.  
1. Vox, seu potentia Domini intercidit flamمام ignis, dum, ad ejus imperium, varia mittuntur è nubibus, quasi è cœlestibus caminis, fulmina in terras, quibus

bus nihil terribilis hominibus accidere solet.

1. Evangelica prædicatio dividit flamas ignis, dum per eam S. Spiritus in cordibus hominum jaculatur ignem Divini amoris, multis, & variis modis; in cuius rei signum apparuerunt in die Pentecostes super credentes *dispertitæ linguae, tanquam ignis*, Act. 1.

Operatio in terrâ. 1. Mirabilis potentia Dei, quæ, sicut montem Libani potest, cùm voluerit, cedris omnibus spoliare, & desertum facere, ita è contrario potest ipsum desertum Cades, ubi nihil nasci solet, unicâ concussione parturire facere, & continuò arboribus, & animalibus replere.

2. Significatur, ad Evangelicam prædicationem convertendas esse etiam barbaras nationes, quæ antea caruerant culturâ spirituali, & irrigatione gratiæ Dei, ut comparatione aliarum nationum, desertæ dici possent. Quid si cum S. Hieron. dicimus significari, vera deserta paritura fuisse infinita agmina Monachorum, & sic deserta futura vernantia floribus Christi? Ipse, in vita S. Hilarionis testatur suo tempore in deserto Cades fuisse plurima monasteria.

v. 8. *Vox Domini præparantis cervos, & n. velabit condensā, & in templo ejus omnes dicent gloriam.*

1. Jam potentiam Dei laudat in animantibus, & plantis. Mira Dei potentia in eo cernitur, quod præparet, seu faciat cervas parere: pariunt enim summā difficultate, ut habemus Job. 39., quia tam perfectos fœtus edunt, ut illi statim ad pastum pergant, nec redeant ad matrem. *Et revelabit &c.* Deus omnia penetrat, etiam densissimas silvas, & ubique operatur; & ideo omnes creaturæ Deum laudant, glorificant in mundo, qui est veluti templum ejus.

2. Evangelica prædicatio præparat homines spirituales, alta petentes, & venenatos serpentes Spiritu suo occidentes, ad partum mirabilium operum: quid enim mirabilius, quam ut homo infirmus operetur opera meritoria vitae æternæ? Et in extremo judicio tam erit evidens iustitia Dei, ut in magno illo theatro, & templo omnes omnino, vel inviti, vel libenter glorificatur sint Deum.

v. 9. *Dominus diluvium in habitare facit, & sedebit Dominus Rex in æternum.*

1. Ratio, cur omnia dicant gloriam Deo:

( 6 )

21

Deo: quia copiosum imbrema effundit su-  
per terram, ex quo rebus omnibus ali-  
mentum producitur, & vita sustentatur:  
& ipse idem Deus sedebit Rex, & Domi-  
nus in æternum, omnia regens, guber-  
nans, & disponens.

2. Cùm in extremo judicio Dominus  
revelaverit condensa, & ab omnibus justi-  
tia ejus laudata fuerit, tunc diluvium &c.  
effundet omnia genera bonorum in bonos,  
& malorum in malos, & sublato de medio  
omni alio principatu & dæmonum, &  
impiorum hominum, sedebit Dominus Rex  
in æternum.

X. 10. Dominus virtutem populo suo dabit,  
Dominus benedicet populo suo in pace.

1. Concludit laudando demum poten-  
tiam Dei in hominibus, quibus dandum di-  
cit à Deo robur contra omnes adversarios,  
& iis omnibus superatis, dulcissimam quie-  
tem, ac pacem.

2. Promittit populo Dei robur in hâc  
vitâ contratentationes, & benedictionem,  
ac pacem sempiternam in æternâ vitâ.  
Est pia quorundam observatio, qui *Vocem*  
*Domini* Septies in hoc Psalmo repetitam,

7. Ecclesiæ Sacramentis ita accommodant,  
ut vocem Domini super aquas, Baptismo;

vocem Domini in virtute, Confirmatio-  
ni; vocem Domini in magnificentiâ, Eu-  
charistiæ; vocem Domini confringentis  
cedros, Pœnitentiæ; vocem Domini con-  
cutientis desertum, Ordini; vocem Do-  
mini intercedentis flammarum ignis, Matri-  
monio; vocem Domini præparantis cer-  
vos, extremæ Unctio[n]i convenire velint.

### PSALMUS XXIX.

**T**itulus, & argumentum: *Psalmus Can-  
tici, in dedicatione domus David.*

*Sensus literalis primus est gratiarum actio, quam  
Deo cecinit David in dedicatione domûs suæ, in  
Jerusalem magnificentissimè extructæ: cum enim  
regnum suum à Deo confirmatum, & stabilitum  
fuisse intellexit.*

*Sensus literalis secundus, & propheticus: Post  
consummationem tabernaculi, quod est Ecclesia mi-  
litans in terris, sequitur dedicatio domûs, quæ est  
Ecclesia stabiliter quiescens in cælis, cuius funda-  
mentum, quod est Christus, jam dedicatum est,  
cum ad vitam immortalem, & gloriosam perve-  
merit.*

*V. I. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti  
me, nec delectasti inimicos meos super me.*

I. Etsi tu, Domine, reipsâ exaltari  
non possis, cùm sis altissimus; faciam ta-  
men, quod in me est, ut te altissimum esse  
omnes

omnes agnoscant : quoniam me de profundis humilitatis suscepisti , & exaltasti in solium Regni ; unde factum est , ut , qui me ad necem quæsierunt , non habuerint materiam gaudendi ex meo interitu ; sed contrà materiam dolendi ex meâ exaltatione.

2. David in Personâ Christi , & Electorum , quos inter ipse futurus erat : Nunc verè te , Domine , cogitatione , & voce exaltabo , cùm ex meâ exaltatione cognoscam sublimissimam altitudinem tuam : nam ex imâ terrâ , & profundo misericordiarum , ex ipsâ mortalitate suscepisti , & exaltâsti me ad gloriam resurrectionis , & immortalitatis , atque ad Regnum cœleste , ac sempiternum . Nec permisisti , ut poterentur desiderio suo , quo in sempiternum interitum meum anhelabant dæmones , & homines mali .

\* 2. Domine Deus meus clamavi ad te , & sanasti me .

\* 3. Domine eduxisti ab inferno animam meam , salvasti me à descendentibus in lacum .

1. Ideo non delectâsti inimicos meos , quia , cùm inter tot pericula mortis , & in tantâ animi ægritudine ad te clamavi , tu sanasti ægritudinem illam meam , & à morte pro-

pinquâ ita me liberasti, ac si ex ipso inferno me eduxisses *Salvasti &c.* Idem est.

2. Vulnera mea in cruce accepta sanâsti; eduxisti è Limbo animam meam, & per resurrectionem à mortuis me excitasti.

Omnes Sancti dicere poterunt: sanâsti me perfectissimâ sanitatem corporis, & animæ; eduxisti &c. non permisisti, ut in infernum damnatorum descenderem; *Salvasti &c.* Vitam. & salutem æternam mihi donâsti.

V. 4. *Psallite Domino Sancti ejus, & confitemini memoriae sanctitatis ejus.*

Et David, acceptis beneficiis temporali- bus, (& quisque Sanctorum, acceptis beneficiis æternis) parum esse judicans, si ipse solus Deo gratias agat, hortatur alios, qui similia beneficia perceperunt, ut Deum laudare non cessent, & *confitemini &c.* laude eum, quod tam paternè nostri meminerit, dando opem, & mittendo Filium suum, Salvatorem mundi.

V. 5: *Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.*

1. Ratio, cur laudanda sit memoria sancta, quam de nobis habet Deus: si enim nos punit, id facit ex indignatione, quam peccata nostra provocant, h. e. ex justo judi-

judicio; sed alioqui in voluntate, & electione ejus non est poena, sed vita.

2. *Pater Filio suo non pepercit, sed tamen ira, h. e. punitio fuit in Christo ex indignatione contra peccata nostra, & fuit castigatio illa brevissima; sed vita, & resurrectio Christi fuit planè ex electione, seu voluntate Dei.*

¶. 6. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.*

1. Ideo ira est in indignatione Dei, sed in voluntate, & beneplacito vita electorum, quia post fletum, ex castigatione, & pœnitentiâ natum, statim succedit lætitia, & laus jubilationis ex remissione, & reconciliatione. Tempus nocturnum rectè tribuitur fletui, & diurnum lætitiae: cum enim peccamus, recedit à nobis lux gratiæ Divinæ; & reddit, cum reconciliamur.

2. Versiculus in Christo ad literam est impletus: nam ad vesperam cum dolore mortuus est, & in matutino cum lætitia surrexit.

¶. 7. *Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.*

Vicissitudinem iræ, & vitæ; fletus, & lætitiae nunc demonstrat in particulari, ac primò loquens in personâ suâ: Ego ali-

B 5 quan-

quando tantâ pace, & honorum tempora-  
rium copiâ abundavi, ut existimarem illa  
mihi perpetuò adsutura. Videtur respi-  
cere ad tempus, quo, post cædem Go-  
liath. i. Reg. 18., diligebatur à Rege, à  
filio Regis, ab omni populo, siebatque  
tribunus, & gener Regis.

V. 8. *Domine in voluntate tua præstitisti decori  
meo virtutem.*

Ideo non movebor in æternum, quia tu, Do-  
mine, robur, ac vires præstitisti felicitati  
meæ, quia ita placuit tibi, ita decrevisti.

V. 9. *Avertisti faciem tuam à me, & factus  
sum conturbatus.*

1. Jam declarat rerum vicissitudinem.  
Paulò pòst, in medio cursu felicitatis, de-  
stituisti me favore tuo, & permisisti, ut  
in odium Regis inciderem: *Et factus sum  
conturbatus*, quia indè exilium, fuga, mor-  
tis periculum, & alia mala exorta sunt.

2. Tres verfulos de Christo sic intelli-  
ge: Humanitas mea, ipsi gratiarum fonti  
Deo unita, dixit: nihil mihi nocere, &  
me perturbare poterit; quia tu, Domine,  
pulchritudini, & excellentiæ meæ, quâ  
præsto etiam Angelis, addidisti robur, &  
potentiam, nodum scil. insolubilem hy-  
postaticæ unionis, idque ex voluntate tuâ,  
cui

cui nemo potest resistere. Nihilominus tamen, manente vinculo hypostaticæ unionis, & illæsâ pulcritudine gratiæ, avertisti ad tempus pro salute hominum faciem tuam à defensione meâ: voluisti, ut calicem amarissimæ passionis biberem, tunc voluntariè conturbatus sum, cœpi pavere, tædere &c.

V. 10. *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.*

V. 11. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendō in corruptionem?*

V. 12. *Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?*

1. Hic David, more Hebræis satîs usitato, ponit futurum pro præterito. Cùm, te avertente faciem, conturbatus sum, non desperavi de misericordiâ tuâ: sed ad te clamavi, & te deprecatus, dixi: quid tibi, Domine, proderit effusio sanguinis mei, dum ego ab inimicis occisus, putrefacam in sepulcro? Certè pulvis non confitebitur tibi confessionem laudis.

2. Cùm Christus in passione ad Dominum clamavit *cum clamore valido, & lacrimis,* Hebr. 5., tunc ait: quæ utilitas erit gloriæ Dei, & saluti hominum in sanguine meo in cruce effuso, dum, ceterorum hominum

num more , corpus meum in sepulcro putrescit ? Nisi enim resurrexero , nec ego , nec alii mortales , qui ex se pulvis , & cinis sunt , facti spiritales aliis hominibus annuntiarent fidelitatem , & justitiam Dei.

Eadem verba applica electis , qui post Iapsum , pœnitentiâ ducti , clamaverunt ad Deum pro remissione peccati , ut possent Domino confiteri , & annuntiare aliis peccatoribus veritatem promissionum Dei.

*¶. 13. Adjuvit Dominus , & misertus est mei , Dominus factus est adjutor meus.*

Hic patet , verba ¶. 10. rectè explicata esse pro tempore præterito. Affirmatum in personâ suâ , tum Christi , & electorum , clamorem suum à Deo fuisse exauditum.

*¶. 14. Convertisti planctum meum in gaudium mihi , considisti saccum meum , & circumdedisti me lætitiam.*

Hic est effectus exauditionis . 1. David ex misero exule Rex potens effectus , rectè ait : *Convertisti &c. considisti &c. h. e. vestem lugubrem , quam destruxisti , ne usui esse posset , mutasti cum veste lætitiae conveniente.*

2. Significatur saccus miseriæ , vel mortali-

talitatis, & passibilitatis planè destructus,  
ut nunquam amplius in sanctis usui sit fu-  
turus, ac multò minus in Christo, qui  
resurgens à mortuis, jam non moritur.

¶. 15. Ut cantet tibi gloria mea, & non com-  
pungar, Domine Deus meus in aeternum confitebor  
tibi.

Hic est ultimus finis gloriæ Christi, &  
Sanctorum omnium, Laus Dei. Ut can-  
tet tibi gloria mea, & non gemitus meus,  
ex timore mortis, vel peccati. Vel can-  
tet tibi gloria mea, & non amplius com-  
pungar aculeo mortis, vel peccati.

### PSALMUS XXX.

**T**itulus, & argumentum: In finem, Psal-  
mus David, pro Ecclasi.

Illa vox extasis non habetur in Hebræo, nec for-  
rassis est addita à septuaginta interpretibus. Quis-  
quis addiderit, videtur respexisse ad ¶. 28. hujus  
Psalmi. Extasis oritur, dum animus vel ex ve-  
hementi passione amoris, timoris, vel ex revela-  
tione rapitur ad considerandum aliquid tam intense,  
ut quasi corpus proprium deseruisse videatur. Vi-  
detur hic extasis orta ex repentino timore, & ma-  
ximo Davidis, cum audivit Absolonem filium,  
& omnem populum contra se conspirasse, 2. Reg. 15.  
Theodoreetus, & Euthymius Psalmum intelligunt de  
Davide,

Davide, fugiente persecutionem Absolonis; potest etiam accommodari Ecclesiae, inter persecutionum angustias gementi.

¶. 1. In te Domine speravi, non confundar in aeternum, in justitia tua libera me.

David Rex fugiens persequenter Absolonem, omni humano auxilio destitutus, ait: *In te, Domine speravi,* & ideo confido, quod nunquam frustrandus spe mea sim, quia tu omnipotens, & fidelissimus es. Igitur libera me juxta hanc spem meam, & ob justitiam tuam, quam impios punire soles, & innocentes liberare.

¶. 2. Inclina ad me aurem tuam, acceler, ut eruas me.

Quia persecutio urgebat, & amici David 2. Reg. 17. per nuntios ei significaverant, ut non quiesceret, sed fugere perseveraret, nisi opprimi vellet, petit veloci- ter exaudiri, & de periculo erui.

¶. 3. Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias.

Verba sunt clara. *In domum refugii,* h.e. sis instar domus, aut arcis munitissimæ, in quam tutò confugere possim.

¶. 4. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Et

*Et propter nomen &c.* David ob repentinam fugam, nec quod iturus esset, sciebat, nec unde alimenta conquirereret: unde divinâ providentiâ factum est, ut ei Siba occurreret cum 200. panibus, & 100. alligaturis uvæ passæ, & duobus utribus vini. Itaque ait: ad gloriam nominis tui deduces me ad locum tutum, & ad nutrimentum cibos providebis.

*V. 5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.*

Non solùm duces me in locum tutum, & ibi enutries; sed etiam liberabis &c. Laqueum absconditum vocat occultam conjurationem factam in Hebron cum Absolone contra se, nil tale cogitantem.

*V. 6. In manus tuas commendô spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.*

Quamvis bonâ spe dixerit, *educes me &c.*, tamen quia de vitâ nondum securus erat, addit: curæ tuæ commendabo vitam meam, quia tu Deus fidelissimus sæpe me de morte redemisti.

*V. 7. Odisti observantes vanitates supervacue.*

*V. 8. Ego autem in Domino speravi, exultabo, & labor in misericordia tua.*

Alia ratio, cur Deo vitam commendet. Quia odio habere soles, qui non sperant in tuo

tuo adjutorio, sed in rebus vanis, ut sunt somnia, auguria &c., vel assutia hominum. *Supervacuè h. e. quæ sinè Deo, vel contra Deum nihil valent.* *Ego autem &c.* Et ideo exultabo &c., quia sperantes in te misericordia tua non deserit.

*V. 9. Quoniam respexisti humilitatem meam,  
salvasti de necessitatibus animam meam.*

*V. 10. Nec conclusisti me in manibus inimici,  
statuisti in loco spatiose pedes meos.*

Allegat alia beneficia, ut gratum se ostendens, provocet Deum ad similia concedenda. Quoniam pignus habeo misericordiæ tuæ, liberationem ex persecuzione Saulis: tunc enim respexisti abjectionem, & afflictionem meam, & salvasti me de angustiis, ex quibus me eximere non poteram. Non permisisti, ut Saul, qui me quærebat ad necem, voto suo potiretur; sed fecisti, ut ex angustiis liberatus, ambulare possem, quocunque vellem.

*V. 11. Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in irâ oculus meus, anima mea, & venter meus.*

Ex recordatione præteritorum beneficiorum orat pro futuris. Sicut alijs misertus es, ita & nunc, cùm iterum tribulor;

lor; miserere mei: Dein incipit enumerare tribulationes præsentes. In irâ tuâ, quâ peccatum meum punis, oculus corporis præ lacrimis caligavit, vel oculus mentis obtenebratus est; anima timore magno concussa est, & venter animæ meæ, h.e. memoria, quæ est recepraculum cogitationum, turbata est. Meminit ergo 3. animæ partium, dum per *oculum*, intellectum; per *animam*, voluntatem; per *ventrem*, memoriam intelligi voluit.

¶. 12. *Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.*

David jam senior verè ait, ætatem consumptam in continuo mœrore. Primis 30. annis persecutio[n]es ferè continuas passus est. Dein Rex primis 7. annis cum progenie Saulis; post cum vicinis nationibus, & proprio filio bella gessit. Demum ipsa gubernandi sollicitudo, si quis coram Deo officio fungi velit, gemere facit sub onere.

¶. 13. *Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea confundata sunt.*

Ad præteritas afflictiones accessit hæc ultima: *ossa mea, &c. robur, & vires* pristinas amisi ob inopiam. Fugerat David finè ullo commeatu, per loca deserta, &

C

sæpe

sæpe nudis pedibus. Vide 2. Reg. c. 15.  
16. 17.

¶. 14. Super omnes inimicos meos factus sum op-  
probrium, & vicinis meis valde, & timor noti  
meis.

Ex novissimâ hâc persecutione ortum  
est, quod cœperim despici à vicinis po-  
pulis, qui audierunt tam turpem meam  
fugam; quod noti, & amici mei cœperint  
timere, ne, si mihi adhærerent, de vita  
periclitarentur apud Absolonem, si forte  
is victore evaderet.

¶. 15. Qui viderunt me, foras fugerunt à mi,  
oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde.

Multi ex notis meis, qui viderunt me  
ita fugientem, & afflictum, longè à me  
recesserunt, timentes vitæ suæ, si mihi  
jungerentur: & ita mei oblii sunt, tan-  
quam si cæsus, & sepultus essem.

¶. 16. Factus sum tanquam vas perditum, quo-  
niam audivi vituperationem multorum commoran-  
tium in circuitu.

Non solùm amici mei me derelique-  
runt; sed etiam apud vicinos circumqua-  
que contemptui habitus sum, quasi essem  
vas confractum, ad omnia inutile; quod  
vel indè patet, quia ego ipse audivi vitu-  
perantes me multos, Semei, aliósque. 2.  
Reg. 16.

¶. 17.

v. 17. In eo dum convenient simul adversum  
me, accipere animam meam consiliati sunt.

Dum in præsentia maledicor, & vituperantes audio; in absentiâ de me necando in Jerusalem cōsilia initur. 2. Reg 17.

v. 18. Ego autem in te speravi Domine, dixi,  
Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

Quanta fiducia inter tot angustias! Ego autem in te speravi Domine: quare? quia dixi in corde meo: tu es protector meus: sortes vitae, vel mortis meæ non pendent à sorte, sed à potentia, & voluntate tuâ, cui nemo resistere potest.

v. 19. Eripe me de manu inimicorum meorum,  
& a persequentibus me.

v. 20. Illustra faciem tuam super servum tuum,  
salvum me fac in misericordia tua, Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Eandem petitionem repetit, sed additis argumentis ad Deum flectendum. Primo cupit reconciliari, si forte adversus sit: illustra &c, h. e. respice in me, quia servus tuus sum, ad tuum obsequium promptus. Reconciliatum me fac salvum, libera, non ob mea merita, sed ob misericordiam tuam. Demum non confundar &c. quia tu, Dominus bonus, & fidelis promisisti auxilium confidentibus in te.

*V. 21. Erubescant impii, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.*

Prophetica imprecatio est, & continuo impleta. Nam Achitophel, qui erat præcipuus consiliarius Absolonis, & consilium dederat perniciosissimum contra David, dissipante Deo consilium ejus, confusionem suam non ferens, laqueo se suspendit, & sic ad infernum deductus est. Dicitur *impius*, quia filium ad necem patris concitabat: *labia ejus dolosa*, quia diu simulaverat se Davidis amicum; sed perfidiam suam datâ occasione prodidit.

*V. 22. Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia, & abusione.*

Labia illa dolosa Achitophelis justè obmutuerunt, quia contra Davidem, qui nullam injuriam fecerat, nec Achitopheli, nec Absoloni, loquebantur consilium iniquitate plenum, superbè contemnendo Davidem, & sic abutendo ejus nomine.

*V. 23. Quàm magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te!*

*V. 24. Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.*

Jam exauditum se sentiens, ac Divinâ consolatione perceptâ, exclamat: *Quàm magna &c.* Verè multiplex est consolatio tua,

tua, Domine, quam infundis intus in abscondito cordis eorum, qui te colunt, diligunt, & filiali timore venerantur. Eam dulcedinem perfectam, cumulatam infundi in corde eorum, qui renuunt consolari, nisi in te; hoc autem totum fecisti in conspectu, hebraicè ex opposito filiorum hominum, h. e. quantò hi magis augent dolores exteriùs, eò magis tu interiùs consolaris.

¶. 25. Abscondes eos in abscondito faciei tua, à conturbatione hominum.

¶. 26. Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum.

Declarat modum, quo sancti viri dulcedinem Dei in tribulatione percipiunt. Timentes te abscondes in loco abdito, quod est in facie tuâ: qui Deum sibi intimè præsentem cogitat, & ex consideratione Divinæ pulcritudinis in Dei amorem acceditur, est in latibulo tutissimo ab omni malo, quod homines conturbare solet. Eosdem timentes te proteges in te ipso etiam ab omni malo verborum; qui enim te testem habent, nihil curant sermones hominum. Deus est sibi ipsi tabernaculum, quia in seipso tantùm capit: & qui per amorem, & contemplationem in Deo habitant, sunt in loco tutissimo contra omnia mala.

C 3

¶. 27.

**V. 27.** Benedictus Dominus , quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Quæ dixerat generatim de consolatione  
Divinâ justorum in tribulatione , sibi , ve-  
luti uni ex iis applicat , & gratias agit:  
benedictus Dominus qui mirabilem misericor-  
diam erga me ostendit , abscondens me in  
abscondito faciei suæ , quod est velut civi-  
tas munitissima , ut jam nihil mihi nocere  
possit.

**V. 28.** Ego autem dixi in excessu mentis mee,  
projectus sum à facie oculorum tuorum.

Accusat ipse se diffidentiæ , quare passus  
fuerat initio persecutionis . Eo tempore ,  
quo præ nimio terrore quasi mentis inops  
eram , dixi apud me : non placet tibi , ut  
amplius regnem , aut vivam ; ideo abje-  
cisti me à benigno vultu tuo , & auxilio  
solito destituisti .

**V. 29.** Ideo exaudisti vocem orationis mea,  
dum clamarem ad te .

Ne diffiderem de bonitate tuâ , cùm me  
videres in tantâ consternatione , continuò  
exaudisti &c. Illud ideo posset etiam verti  
verè , sive certè , est enim adverbium multa  
significans .

**V. 30.** Diligite Dominum omnes sancti ejus,  
quo-

quoniam veritatem requiret Dominus, & retrahet abundantiter facientibus superbiam.

V. 31. Viriliter agite, & confortetur cor uestrum, omnes qui speratis in Domino.

Hortatur pios, qui similia patiuntur,  
ut non cessent diligere Dominum, atque  
in eo sperare: quoniam et si ad tempus im-  
pii videantur impune grassari, tamen bre-  
vi acerbissime punientur. Veritatem requiret,  
h.e. fideles servat Dominus.

**PSALMUS XXXI.**

**T**itulus, & argumentum: *Ipsi David  
intellectus.*

**1** interclusus.  
Titulus indicat, Davidi, post commissum peccatum, per Dei gratiam apertos fuisse oculos mentis, ut intelligeret, quam graviter deliquerisset, quod antea, carnali delectatione occœcatus, intelligere non potuerat. Fure Psalmus hic à S. Gregorio, & aliis inter 7. pœnitentiales numeratur, cum totus consumatur in peccato proprio deflendo, & in cohortandis hominibus ad pœnitentiam.

**V. I.** Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &  
quorum tecta sunt peccata.

v. 2. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

Nemo melius novit, quam dulcis sit  
sanitas, quam qui amissam deflet. O quam

sunt illi felices, qui, postquam peccaverunt, non despiciuntur à Deo, sed per gratiam ejus excitati, convertuntur ad pœnitentiam, & obtinent indulgentiam. *Quorum tecta &c.* idem est: peccata enim remitti est ita tegi, ut nusquam appareant. Dein transit ab indulgentiâ, quæ est mulitorum, ad innocentiam, quæ est paucorum: O verè beatus, ac felix, quicunque ille est, qui nihil fecit, quod in peccatum vel à Deo imputari potest, *nec est dolus &c.* nec peccavit facto, imò ne verbo, & cogitatione; spiritus enim cordis sunt cogitationes, & spiritus oris sunt verba.

*V. 3. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.*

Illi quidem sunt beati; sed ego miser sum, qui non solum innocentiam non servavi; sed longo tempore distuli per confessionem peccati indulgentiam quærere: & ideo post agnitam culpam meam, cœpi tam assiduè clamare, ut ferè consumptum sit omne robur meum. Fuit autem iste clamor doloris, & compunctionis, qui verè rugitus dici potest.

*V. 4. Quoniam die ac nocte gravis est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

Non

Non leviter, sed graviter me percutis,  
flagellando nimirum sive intermissione:  
propter ista flagella conversus sum ad cog-  
nitionem gravitatis peccati mei, dum sti-  
mulus conscientiae pungit. Multa mala  
Davidi propter peccatum contigerunt,  
mors infantis, nati ex adulterio; incestuo-  
sa pollutio filiae Thamar per fratrem  
Amon; hujus Amonis cædes per Absolo-  
nem; ejusdem Absolonis seditio, mors.

*¶. 5. Delictum meum cognitum tibi feci, &  
injustitiam meam non abscondi.*

Ex agnitâ peccati magnitudine factum  
est, ut peccatum non amplius raceret, &  
occultaret, sed palam confessus sit Deo,  
& hominibus, imò toti mundo per scrip-  
turam Psalmorum. Dum ait, se Deo  
manifestasse delictum suum, more huma-  
no loquitur: *Judex enim etsi viderit reum*  
*delinquentem, ut tamen id juridicè sciat,*  
*conatur reum aliunde convincere: sic*  
*Deus flagella, quasi tormenta, aut quæ-*  
*stionem adhibuit, ut David palam confi-*  
*teretur.*

*¶. 6. Dixi, confitebor adversum me injusti-  
tiam meam Domino, & tu remisisti impietatem  
peccati mei.*

Ad solatium pœnitentium declarat in-  
C 5 effa-

effabilem Dei misericordiam, quam in se ipse expertus est. Compunctus corde, statui continuò confiteri, méque reum, & peccatorēm apertè declarare; & tu non expectāsti vocem illam, quā dixi: *peccavi Domino;* sed ex paternā benignitate remisisti &c., quod ex Propheta tuo Nathan intellexi, qui ait: *Dominus transtulit peccatum tuum à te.*

¶. 7. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.*

¶. 8. *Veruntamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.*

Hac de causâ, quia tu tam clementer ignoscis pœnitentibus, fiduciam te orandi sumet omnis pius, omnis verè pœnitens; orabit autem, antequam tempus misericordiæ finiatur, dum hæc vita durat, dum ad pœnitentiam Deus invitat: ut in novissimo die, quando veluti diluvium quoddam inundabunt super impios omnia pœnarum genera, & præterierit tempus orationis, & pœnitentiæ, tunc ipsi salvi sint ab hujusmodi pœnis.

¶. 9. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea eruc me à circumstantibus me.*

Acceptâ indulgentiâ quoad culpam, pe-

tit

tit etiam indulgentiam quoad pœnam , li-  
berationem nempe à tribulatione, in quam  
incidit ob peccatum. *Tu es &c.* non habeo  
tutum refugium , nisi in tuâ misericordiâ ;  
undique deficiunt amici , & cingor ab ini-  
micis : tu solus es causa omnis meæ læti-  
tia: erue me &c.

v. 10. *Intellegum tibi dabo , & instruam te in  
via hac , qua gradieris , firmabo super te oculos  
meos.*

Dominus , ad orationem servi sui , pol-  
licetur opem , & tria promittit : primò  
prudentiam interiorem , ut possit cavere  
insidias hostium , & discernere amicos ab  
inimicis : secundò auxilium externum sin-  
gularis providentiae Dei , sine quo in  
multis periculis homines etiam prudentissimi  
versantur : Tertiò perseverantiam ,  
in gratiâ , quod est maximum beneficium ,  
& proprium Electorum. Tunc autem  
Deus firmat oculos &c., si duo priora bene-  
ficia constanter præster.

v. 11. *Nolite fieri sicut equus , & mulus , qui-  
bus non est intellectus.*

Hortatur omnes , ut suo exemplo di-  
scant sapere. Nolite duci solis sensibus ,  
cùm ratione prædicti sitis: nolite sicut equi ,  
& muli hinnire ad uxores proximi vestri ,  
sicut

sicut ego feci: nolite sicut indomiti, & feroci, morlu, & calcibus impetere pau- peres, humiles, ut ego adversus Uriam feci.

v. 12. *In camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

Prædicit mala, quæ eos sequentur, qui equos, & mulos imitari voluerint; more propheticæ prædictionem exprimit imprecando. Qui, velut ratione prædicti, sponte ad te accedere per obedientiam re- cusan, hos capistro, & fræno, quasi equos, & mulos coercebis. Camus, & frænum, quo Deus nos à peccatis arcet, sunt calamitates.

v. 13. *Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.*

Declarat camum, & frænum. Pecca- tor impoenitens multis flagellis atteretur hic, & nisi resipiscat, flagellabitur æter- num. Flagella sunt æruminæ, quæ si de- sint, sufficit ipsum peccatum, quod pa- rit timores, remorsum, pericula &c. Contra justus, qui non confidit in vanitate mortalium, sed in Deo, per misericor- diam Dei undique tutus erit contra flagel- la: quid enim noceat ei, cui omnia coo- perantur in bonum, & ejus passiones

con-

convertuntur in gloriam? ideo recte con-  
cluditur Psalmus.

¶. 14. *Lætamini in Domino, & exultate justi,  
& gloriamini omnes recti corde.*

Magnam habetis, ô justi, materiam  
gaudendi, & exultandi, sed in Domino,  
à quo sunt tanta bona, quibus affluitis;  
*gloriamini*, h. e. cum lætitia laudate Deum.

### PSALMUS XXXII.

**T**itulus, & argumentum: *Psalmus Da-  
vid.*

*Exhortatur justos homines ad laudandum Dei  
potentiam, providentiam, & bonitatem; hortatur  
autem justos, cum quia non est speciosa laus in ore  
peccateris; cum quia potentia, providentia, &  
bonitas Dei ipsis potissimum justis utilissima est.*

¶. 1. *Exultate justi in Domino, rectos decet  
collaudatio.*

Vos justi cum lætitia laudate Deum, quia  
hoc vobis potissimum convenit, nec tan-  
tum singillatim, sed & coniunctim laudare  
Deum.

¶. 2. *Confitemini Domino in cithara, in psal-  
terio decem chordarum psallite illi.*

Hortatur rursus justos, ut Deum lau-  
dent non tantum voce, sed &, ut moris  
erat, instrumentis musicis, *Mysticè:*  
lauda-

Jaudate non solum verbis, sed & operibus, præsertim perfectâ observatione Decalogi, significati per psalterium 10. chordarum.

*V. 3. Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.*

Monet, ut omnia accuratè fiant, & diligenter. Laudate Deum cantico aliquo novo, ad rem præsentem aptè composto: *in vociferatione*, canite vocibus, & instrumentis non frigidè, sed magno cum sonitu, utique ad significandum affetum.

*V. 4. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in fide.*

Prima ratio Deum laudandi est ejus honestas. *Quia verbum, mandatum, prohibitio, promissio, comminatio &c. justissima, fidelissima, & sanctissima sunt;* & *opera sunt in fide,* seu verbis conformia, fidelia, justa, sancta.

*V. 5. Diligit misericordiam, & judicium: misericordia Domini plena est terra.*

Sanctitas verborum, & operum Domini nascitur ex sanctitate voluntatis. Deus enim amat primùm largiri bona gratiæ suæ; post secundūm opera cuiusque redere præmia, vel supplicia; atque ita om-

omnes viæ Domini misericordia, & veritas.

¶. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Secunda ratio Deum laudandi est ejus potentia, cuius primarius, & maximè conspicuus effectus est fabrica Cœli. Hanc molem Deus fecit sinè labore, sinè morâ temporis, sinè ministris, nempe solo verbo fecit, & eis æternam stabilitatem attribuit. NB. In hoc ¶. latet mysterium SS. Trinitatis: Dominus Pater per Verbum creavit Cœlos, utique non sinè Spiritu S.

¶. 7. *Congregans sicut in ure aquas maris, ponens in thesauris abyssos.*

Pergit explicare potentiam Dei. Congregat Deus aquas maris in locum unum, ac si utrem impleret, h. e. facillimè, nullo negotio. Ponens &c. idem dicit: aquas multas, quæ ab initio mundi erant super terram, & usque ad Cælum pertingebant, in angustis terræ cavernis conclusit, ac si reconderet pecunias in thesauris.

¶. 8. *Timent Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.*

Occasione potentiae Divinæ, hortatur omnes, ut timeant Dominum tantæ potentiae,

tentiæ , & majestatis : contremiscant ab eo Domino , videlicet aliquid jubente , ne mandata ejus prævaricentur.

¶. 9. *Quoniam ipse dixit , & facta sunt , ipsi mandavit , & creata sunt.*

Ratio , cur solus Deus timendus : quidquid est extra Deum , nihil nobis nocere potest , nisi Deus permiserit ; & nihil extra Deum , nos ab ejus irâ defendere potest : omnia enim ab ejus nutu dependent & habent , ut sint.

¶. 10. *Dominus dissipat consilia gentium : reprobat autem cogitationes populorum , & reprobat consilia Principum.*

Tertia ratio Deum laudandi est ejus Sapientia . Quidquid homines consultando deliberant , quamvis consilia eorum sapientissima , & prudentissima videantur . Deus in momento infatuare , & irritare potest . Dicit autem idem bis . Verè mirabilis est Dei sapientia , quæ sapientes in astutiâ suâ comprehendit , & ineffabili ratione ita nonnunquam consilia illorum infatuat , ut , quæ utilissima sibi judicant , & perniciem , & interitum illis adferant .

¶. 11. *Consilium autem Domini in æternum manet , cogitationes cordis ejus in generatione , & generationem.*

Do-

Dominus quidem inscrutabili sapientia  
suâ facit humana consilia sine sibi proposito  
frustrari: at humana prudentia nihil om-  
nino potest adversus consilium Dei: quid-  
quid enim semel decrevit, fiet prorsus eo  
modo, quo fieri decrevit, & stabile erit  
in æternum.

¶. 12. *Beata gens, cuius est Dominus Deus  
eius, populus, quem elegit, in hæreditatem sibi.*

Beati sunt illi homines, qui pro Deo non  
agnoscunt, nisi unum illum Dominum,  
*cuius verbo cœli firmati &c.* Et simul beati illi  
homines, quos idem Dominus elegit in  
populum peculiarem, & quasi propriam  
possessionem, & hæreditatem: qui Deum  
habet, etsi aliis careat, in Deo habet omnia.

¶. 13. *De cœlo respexit Dominus, vidit om-  
nes filios hominum.*

¶. 14. *De preparato habitaculo suo respexit su-  
per omnes, qui habitant terram.*

Verè beata gens: nam cum Dominus  
eius de cœlo, tanquam altissimâ speculâ,  
videat omnes homines, & cognoscat, ne-  
minem, ut fortissimum, aut potentissi-  
mum, posse propriis viribus salvum fieri;  
oculo tamen paterno peculiariter popu-  
lum suum respicit, adjuvat, & salvat.

**V. 15.** *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.*

Declarat, Deum non vidisse de cælo filios hominum modo confuso, quo nos videmus longè posita. Deus, qui creavit animas singulorum, etiam distinctè cognoscit animas, corda, cogitationes &c.

**V. 16.** *Non salvatur Rex per multam virtutem, & Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.*

Ille, qui videt omnia, hoc videt, neminem propriâ virtute posse liberari à malis, quæ nos circumstant, sed egerit omnes misericordiâ Dei. Pro exemplo ponit eos, qui maximè suis viribus videntur posse gloriari.

**V. 17.** *Fallax equus ad salutem, in abundancia autem virtutis suæ non salvabitur.*

Nec vires alienæ, nec propriæ homini sufficiunt ad resistendum instanti periculo, ut dictum est; nec si fugiendum sit, equis sufficit velocitas, quæ sæpe impediri, vel præveniri potest: fallitur itaque, qui in ea confidit: equus enim abundans virtute, h.e. celerrimus, nec ideo se, nec sessorem liberabit à periculo.

**V. 18.** *Ecce oculi Domini super metuentes eum & in eis, qui sperant super misericordia ejus.*

**V. 19**

¶. 19. Ut eruat à morte animas eorum, &  
alat eos in fame.

Concludit discursum, quo probat, beatam esse gentem, cuius Deus est Dominus. Nam videt quidem Deus omnes homines, & intelligit, quam parùm possint, nisi ipse adjuvet; sed tamen peculiariter in eos, qui Deum colunt, & in ipso verè confidunt, dirigit oculos suos, & juvat, tum ut à mortis periculo liberentur, tum ut tempore famis commodè sustententur. Hæc facile spiritualiter, intelliguntur.

¶. 20. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor, & protector noster est.

Justos, tot beneficiis Dei confirmatos, inducit respondentes: quidquid acciderit, permanebimus in Dei timore, & amore; exspectabimus patienter consolationem duntaxat de cælo.

¶. 21. Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto ejus speravimus.

Quia à Deo adjuti, & protecti sumus, ideo exultabimus, & in nomine, h. e. in Domino ipso speravimus.

¶. 22. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.

Concludit per orationem: addatur semper nova misericordia super nos, sicut de-

D 2 tuâ

tuâ bonitate futurum speravimus, & nobis ipsis promisimus.

### PSALMUS XXXIII.

**T**itulus: *Davidi, cùm immutavit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit.*

Titulus ad duas historias referri potest, quæ habentur si. Reg. c. 21. Prior historia narrat, Davidem fugientem à facie Saul Regis, venisse ad Achimelech Sacerdotem, atque ab eo panes, & arma postulasse, neque ei indicasse fugam suam; sed simulasse, secretum Regis negotium se habere, ob quod tantopere festinaret. Posterior historia refert, Davidem confugisse ad Achis Regem Philistæum; sed cùm servi ejus Regis incitare cœpissent Dominum suum in necem Davidis, tum Davidem insaniam, & fatuitatem simulare cœpisse, atque eā ratione mortem evasisse. Ad hanc posteriorem historiam titulum referunt SS. Basil. Aug. Hieron. Euthym. & pluribus probat Bellar. Nec obstat, quod in titulo ponatur *Abimelech*: nam docet S. Basilius, illud fuisse nomen commune Regibus Philistinorum, sicut Pharao erat nomen commune Regibus Ægyptiorum, & Cæsar Imperatoribus Romanorum.

Argu-

Argumentum Psalmi est *gratias agere Deo pro beneficio liberationis à periculo illo mortis imminentis, & hāc ratione exhortari omnes ad amandum Deum, & sperandum in eo.* Intelligebat enim virpius, suam illam omnem industriam, quam adhuc simulando stultitiam, parūm fuisse profuturam sine adjutorio, & favore Divino.

Psalmus est Alphabeticus: incipit enim 1. v. à primā literā Alphabeti, 2. v. à secundā, & sic de cæteris; quod videtur ideo factum, ut faciliūs memoriæ mandaretur, & sæpe à fidelibus cantaretur.

v. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Nunquam obliviscar hodiernum beneficium; quoad vixero, Deum benedicam, & laudabo.

v. 2. *In Domino laudabitur anima mea, auidant mansueti, & lētentur.*

Nec solūm ego idcirco benedicam Dominum, sed & ego laudabor ab omnibus, quod tam mirā arte Regem eluserim: laudabor tamen in Domino, cui præcipua laus debetur, qui tam providè consilium inspiravit, & ad effectum promovit. Mansueti, humiles, Deum timentes, quibus similia, quæ passus sum, solent esse communia, hoc audiant, & Deum benedicant.

**V. 3.** *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.*

Alloquitur mansuetos, quos jussere audire: Dominum, qui solus verè magnus est, magnum esse confiteamur: *nomen ejus, notitiam, & famam, vel potentiam, & majestatem coram aliis in idipsum, unā extollamus.*

**V. 4.** *Exquisivi Dominum, & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*

Ratio, cur velit Deum semper benedicere. Cùm premerer angustiis, ad Dominum confugi, & solitâ suâ benignitate me exaudivit: conatus est me Saul Rex & manu suâ, & per satellites suos occidere, &, protegente Domino, manus ejus effugi: fugiens præ festinatione, nec arma, nec cibum capere potui, & continuò Deus per Achimelech panes, & arma prouidit: Paulò pòst imprudens incidi in manus Achis Regis Philistinorum, sed, inspirante, & protegente Deo, mirâ arte periculum declinavi: & ita ex omnibus tribulationibus, quæ hucusque mihi acciderunt, eripuit me amantissimus Deus.

**V. 5.** *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestre non confundentur.*

Efficaciter hortatur ad amorem, timorem,

32 ( o ) 33

rem, spem in Deo. Tribulati accedite  
per fidem, & orationem ad Deum, per-  
cipite lumen consolationis, & lætitiae;  
nolite timere repulsam, exaudiet, & ex-  
cipiet vos.

¶. 6. Iste pauper clamavit, & Dominus ex-  
audivit eum: & de omnibus tribulationibus ejus  
salvavit eum.

Probat exemplo suo, securè acceden-  
dum ad Deum. Iste pauper David, omni  
ope destitutus, ita ut etiam panem à sacer-  
dote mendicaret, clamavit cum fide, &  
fiduciâ, & Dominus exaudivit &c.

¶. 7. Immetter Angelus in circuitu timentium  
eum, & eripiet eos.

Jam probat ratione, accedendum ad  
Deum. Angelus Domini, cùm videt ju-  
stos in periculo, ipse se immittet, & more  
castrorum circumdabit, & proteget eos.  
Quanta securitas, & pax debet esse in cor-  
de timentium Deum, cùm unus Angelus  
Custos suppleat vicem exercitûs?

¶. 8. Gustate, & videte, quoniam suavis est  
Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Nunc hortatur eos, ut experiantur,  
rem ita esse: facite periculum, incipite  
jactare in Deum omnem sollicitudinem ve-  
stram, inhærendo illi, dimissis omnibus

consolatoribus aliis : & cognoscite, quoniam dulce est, requiescere in sinu summi boni. Beatus, qui certa spe in Deo recumbit.

**V. 9.** *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est impia timentibus eum*

Post exhortationem ad experiendum dulcedinem Dei, hortatur ad perseverandum in justitiâ, & caritate Dei, quæ est fundamentum fiduciæ, per quam accedimus ad Deum. Justissimis viris nihil deest: si desint temporalia, non deest patientia; melior divitiis.

**V. 10.** *Divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Divites impii sæpe ad extremam inopiam sunt redacti; qui in solo Deo spem suam positam habent, nihil boni iis deerit. Vel sensu magis recondito: qui divitias temporales amant, nunquam satiantur, esurientes plura; qui infinito bono inhærent, in eo habent omnia.

**V. 11.** *Venire filii, audite me, timorem Domini docebo vos.*

Venite ad me, ad scholam Spiritûs S.: audire Spiritum Domini per linguam meam loquentem: docebo, quanta sit utili-

utilitas timoris Domini, & in quâ re timor iste sit positus.

v. 12. *Quis est homo, qui vult vitam: dilit dies videre bonos?*

Qui dicunt, se velle vitam beatam, & tamen non ingrediuntur viam, quæ ad illam ducit, non videntur verè, ac seriò velle vitam beatam, sed umbram solùm vitæ: ideo interrogo, quis est, qui verè, ac seriò vult vitam veram, & dies felices vivere?

v. 13. *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.*

v. 14. *Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.*

Ut timor Domini te perducat ad vitam bonam, ac felicem, ne Deum offendas linguâ, mentiendo, pejerando, detrahendo, rixando &c.; dein cave peccata commissionis, ut homicidium, adulterium &c. *Fac bonum, cave peccata omissionis, non honorando parentes, omittendo eleemosynas, orationes, jejunia &c.* demum cave peccata cordis, iram, odia, invidentiam &c. *Inquire pacem: boni viri est, non tantùm pacem habere, sed optare, quærere.*

v. 15. *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.*

D s

Ra-

Ratio, cur servantes mandata Dei, & carentes peccata, habeant vitam, & dies bonos: si enim cognoscant mala imminentia, & clament ad Deum, inveniunt apertas, & intentas aures ejus: si forte non cognoscant, Deus pro illis vigilat, & liberat a malis. Mira Dei bonitas in justos.

¶. 16. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum.*

Ex comparatione impiorum auget beneficium justorum: sicut oculi Domini super justos vigilant, ut eos custodiat: ita vigilant super injustos, ut funditus exterminentur & ipsi, & filii, & posteri. Si contrâ accidit, vel parentes ante tempus ultionis resipiscunt; vel posteri non imitantur peccata parentum; vel justo Dei iudicio differuntur ejusmodi pœnæ.

¶. 17. *Clamaverunt justi, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

Probat exemplis, oculos Domini super justos esse: *clamaverunt*, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moyles &c. *Liberavit eos*, saltem dando pretiosum patientiæ donum, & coronam gloriæ sempiternæ.

¶ 18. *Fuxta est Dominus iis, qui tribulati sunt corde, & humiles spiritu salvabit.*

*Docet*

Docet modum, quo Deus justos liberat de tribulatione: non deserit eos, sed prope adest, dans patientiam, & consolationem ad fortiter sustinendum: neque hoc diu durabit, sed paulò post illos ipsos humiliatos, & afflictos corde, eruet de omni angustiâ.

¶. 19. Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Humiles spiritu ita salvabit, ut, licet eorum plurimæ sint tribulationes, inopia, morbi, ignominiæ, calumniæ &c., iis tamen adferat in præsenti consolationem spiritualem, in futuro plenam liberationem.

¶. 20. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.

Et quamvis ossa, & membra justorum vel devorentur, vel submergantur, vel comburantur &c., Deus tamen in die resurrectionis ea restaurabit. Alii explicant de ossibus internis, de fortitudine animi, quæ in sanctis, in maximis etiam persecutionibus, Deo custodiente, non deficit.

¶. 21. Mors peccatorum pessima, & qui odrunt justum, delinquent.

Impii, E.g. Athei, vel qui Dei providen-

dentiam , aut animam immortalem negant,  
non sibi persuadeant , suas quoque mis-  
rias in morte finiri , quia tunc erit initium  
cruciatum æternorum ; & qui justos ve-  
xant , odio habent , aberrabunt à viâ veræ  
felicitatis.

*v. 22. Redimet Dominus animas servorum  
suorum , & non delinquent omnes , qui sperant  
in eo.*

Concludit , prædicendo justis contra-  
riam sortem. Animas justorum , post  
mortem redimet ab omni malo , & ideo  
eorum mors est optima. Qui non in suis  
viribus , sed in Deo perfectâ spe confidunt ,  
quæ nascitur ex patientiâ , & bonis operi-  
bus , non aberrabunt à scopo , sed ad illum  
omnes omnino pervenient.

### PSALMUS XXXIV.

**T**itulus , qui est : Ipsi David , nihil ha-  
bet novi. Argumentum Psalmi videtur esse  
*Oratio Christi ad Patrem adversùs persecutores suos ,*  
*& corporis sui , quod est Ecclesia . Fortassis etiam*  
*David orat pro liberatione suâ , & contra Saul Re-*  
*gem , aliósque persecutores suos .*

*v. 1. Judica Domine nocentes me , expugna  
impugnantes me ,*

**P**ropositio generalis est , quâ petitur au-  
xilium

xilium contra persecutores. Justo judicio  
condemna eos, qui me injusto judicio con-  
demnaverunt, & nocuerunt, quales fue-  
runt judæi in Christum, & tyranni in  
Christianos. Suscipe causam meam, ut,  
expugnante te inimicos meos, ego tan-  
dem victoriam referam.

*V. 2. Apprehende arma, & scutum, & ex-  
urge in adjutorium mibi.*

Quia qui pugnat, debet instructus esse  
armis, tum quibus repellat i&tus adversa-  
rii, tum quibus adversarium feriat, ideo  
in hoc V. meminit armorum prioris, in  
seq. V. verò posterioris.

*V. 3. Effunde frameam, & conclude adver-  
sus eos, qui persequuntur me: dic anima mea,  
salus tua ego sum.*

Evagina gladium, & stringe illum con-  
tra persecutores meos. Illud effunde signi-  
ficat facilem evaginationem, qualis est  
cum gladius politus, & lævis est: tunc  
enim facilè eximitur, & quasi funditur è  
vaginâ. Conclude, h.e. manu acriter strin-  
ge, ut fortius feriat. Ad majorem no-  
stram fiduciam facit, quod Deus etiam  
armatus nos tueatur contra hostes quo-  
cunque.

*V. 4. Confundantur, & revereantur queren-  
tes animam meam.*

Im-

Impii erubescant ob amissam victoriam,  
qui querunt me interficere.

*V. 5. Avertantur retrorsum, & confundan-  
tur cogitantes mihi mala.*

Non solum confundantur, & pudore  
afficiantur, sed etiam recedant victi, &  
confusi, qui meditantur necem meam.

*V. 6. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti,  
& Angelus Domini coarctans eos.*

Non solum recedant, sed celeriter fu-  
gere cogantur, & dispergantur, ut pul-  
vis à vento in varias partes magno impetu  
dispergitur. *Angelus Domini*, qui est po-  
tentior omni vento, coarctet, & impel-  
lat eos.

*V. 7. Fiat via illorum tenebræ, & lubricum,  
& Angelus Domini persequens eos.*

Fugientes juvari solent scientiâ viarum,  
itinere tuto, aut, si via sit lubrica, tardi-  
tate ambulationis ; contraria omnia im-  
precatur David. Fugere cogantur in te-  
nebris, & per viam lubricam, ut nec ocu-  
li, nec pedes officio fungi possint ; & in-  
stante post eos, & urgente Angelo Domi-  
ni, ut debeant in præcipitium, & exi-  
tium ruere. Judæi hodie, & alii Christi, &  
Ecclesiæ persecutores, justo Dei judicio,  
versantur in tenebris ignorantiae, in lu-  
brico

brico concupiscentiæ , & persequente eos  
irâ Dei , per continua peccata celerrimè  
festinant ad mortem sempiternam.

¶. 8. Quoniam gratis absconderunt mihi inte-  
ritum laquei sui : supervacuè exprobraverunt ani-  
mam meam.

¶. 9. Veniat illi laqueus , quem ignorat , &  
captio , quam abscondit , apprehendat eum , & in  
laqueum cadat in ipsum.

Hactenus locutus est in personâ Christi ,  
& justorum , jam explicat tria genera per-  
secutionum , quas pati solent justi ab im-  
piis . Primum genus : nullâ injuriâ à me  
lacessiti , mihi insidias struere non desi-  
nunt ; & probro me affecerunt , tenden-  
tes mihi laqueos , & retia , quasi feræ sil-  
vestri . Interitus laquei , seu mors quæsita  
per laqueum . Veniat illi &c. Imprecatio  
hæc prophetia est : in eundem ipsum la-  
queum , seu calamitatem insperatam , quam  
mihi paraverunt , ipsi incident . Justâ Dei  
providentiâ , hujusmodi sibi priùs nocet ,  
quàm aliis , ut fax se ipsam priùs incipit  
consumere , quàm domum accedere .

¶. 10. Anima autem mea exultabit in Domi-  
no , & dilectabitur super salutari suo .

¶. 11. Omnia ossa mea dicent , Domine quis  
similis tibi ?

¶. 12.

¶. 12. Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum, & pauperem à diripientibus eum.

Explicat lætitiam singularem, quâ perfundetur justus, cùm se perfectè liberum esse cernet ab omnibus insidiantibus. Cùm liberatus fuero, anima mea, quâ vivo, & sapio, præ lætitia laudabit, & magnificabit Dominum, & delectabitur super eum, qui est salus ejus; nec anima solum, sed & omnes corporis partes præ lætitia gestient, & si sensum, & vocem haberent, exclamarent utique, & dicerent: *Domine, quis similis tibi?* nihil autem est in terrâ, neque in cælo te fortius, benignius, sapientius, amabilius, qui tam potenter, & misericorditer eripis pauperem de manu hostis, multò fortioris ipso, qui violenter ejus bona, & vitam ipsam rapere cupiebat.

¶. 13. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.

¶. 14. Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.

Refert secundum persecutionis genus contra justos, nempe falsa testimonia; & nequitiam mirè exaggerat. Surgentes, non exspectantes citationem, sed per se venientes. *Quæ ignorabam, nec feceram, nec facere*

facere cogitaveram. *Interrogabant me, impudentes testes, qui non contenti falsum testimonium dicere corām judice, ipsum etiam virum justum corām interrogare audient.* *Rerribuebant &c. nullā injuriā laces- siti, sed contra beneficiis affecti, ex merā malitiā ad calumniandum adducti.* *Seri- litatem &c. quārentes non leve aliquod mi- lum, sed omnium maximum, puta vel desolationem, & vastitatem universalem, qualis S. Jobo contigit; vel infamiam no- minis, ut apud homines nec fructum fa- cere possit, &, quod jam fecit, pereat.*

*v. 15. Ego autem, cūm mihi molesti essent, in- duebar cilicio.*

*v. 16. Humiliabam in jejunio animam meam,  
& oratio mea in sinu meo converteretur.*

Significat medium, quo usus est con- tra hos persecutores. *Ego autem, cūm mi- hi molesti essent, non iis insultavi, red- dendo malum pro malo, sed sacco indu- tus jejunare cœpi, fructum orationis non dubium exspectans, nempe celerem Dei placationem. Licet Christus nunquam legatur cilicio indutus orasse, id tamen Christo convenit in suis membris, quo- rum proprium est in miseriis ad cor suum redire, & Deum humiliter deprecari.*

¶. 17. Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam, quasi lugens, & contristatus, sic humiliabar.

Imò reddidi bonum pro malo: sic enim affectus fui erga quemque persecutorem, ut ad proximum, & fratrem, nec hoc solum, sed & inclinabam me ad eum, ex compassione dolens, & contristatus de malis ejus, quomodo pia mater inclinatur tristis ad filium languidum, & jacentem, David Saulem ut fratrem dilexit, mortuum ut filium deflevit. Christus flevit super urbem; gallinæ se comparat.

¶. 18. Et adversum me letati sunt, & convenerunt, congregata sunt super me flagella, & ignoravi.

Refert tertii generis persecutores, qui non solum fraudibus, & calumniis, flagellis quoque justos aggrediuntur. Ego de malis eorum dolebam; ipsi de malis meis lætabantur; imò convenerunt adversum me, flagellis armati, ut me, si possent, occiderent; & ignoravi eorum consilia, & ideo præcavere non potui; vel: ita me patienter gessi, ac si, quid facerent, ignorarem.

¶. 19. Dissipati sunt, nec compuncti tentaverunt me: subsannaverunt me subsannatione, frenauerunt super me dentibus suis.

Qui

Qui convenerant in unum, ut noce-  
rent, & flagellarent, divisi sunt ab invi-  
cem, Deo dissipante eorum conventicu-  
lum: sed non propterea resipuerunt, vel,  
non siluerunt, & quieverunt, ut par erat:  
sed potius tentaverunt me, nimirum ad  
iracundiam provocare, quia subsannave-  
runt me subsannatione irrisoriâ, & fren-  
duerunt contra me dentibus suis, minas  
crudeles intentantes.

¶. 20. *Domine quando respicies? restitue ani-  
mam meam à malignitate eorum, à leonibus uni-  
cam meam.*

Expositis persecutionibus, in personâ  
iustorum omnium, qui persecutionem pa-  
tiuntur, Deum orat: quando te videre  
mala impiorum puniendo demonstrabis?  
restitue mihi vitam, quam pene amisi,  
dum est in manibus malignorum, quâm-  
que unicam habeo, restitue, inquam, li-  
berando me ab iis, qui sunt velut leones ob-  
cruelitatem, & ferocitatem.

¶. 21. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in po-  
pulo gravi laudabo te.*

Promittit, se non fore ingratum, si li-  
berationem ab adversariis obtineat. Be-  
neficium tuum publicè coram omnibus  
prædicabo. *Ecclesia magna, & populus gravis*

E 2

idem

idem sunt : dicitur magna à multitudine ;  
eadem est populus gravis , si tantus est,  
ut hostem non timeat.

**V. 22.** Non supergaudeant mibi , qui adver-  
santur mihi iniquè , qui oderunt me gratis , &  
annunt oculis.

Redit ad orationem **v. super.** Non læ-  
tentur de interitu meo , qui me perle-  
quuntur fingentes amicitiam. Qui ode-  
runt &c. idem est : qui sinè causâ , nullâ fa-  
ctâ injuriâ , me oderunt , & tamen fin-  
gunt amicitiam , annuendo oculis , salu-  
tantes , blandè aspicientes &c.

**V. 23.** Quoniam mihi quidem pacificè loqueban-  
tur , & in iracundia terræ loquentes dolos cogita-  
bant.

Probat istum oculorum annutum. Quo-  
niam mecum verbis externis pacificè lo-  
quebantur , quasi amici essent ; sed præ  
iracundiâ cordis terreni , & animalis dis-  
rumpebantur , & dolos cogitabant , qui-  
bus me perderent.

**V. 24.** Et dilataverunt super me os suum : di-  
xerunt , euge , euge , viderunt oculi nostri.

Probat simulationem eorum : inimici  
iidem , qui aliquando blandiebantur , &  
annuebant oculis , postea cùm in easdem  
calamitates incidisset , quas illi fraudulen-  
ter

ter concinnaverant, dilatato ore cœperunt apertè insultare, gaudere, ac dicere: vidi mus tandem, quod tantopere cupiebam us. *Euge* est interjectio lætantis, vel cum gaudio exultantis, ut Latinorum vah.

¶. 25. *Vidisti Domine, ne sileas, Domine ne discedas à me.*

¶. 26. *Exurge Domine, & intende judicio meo, Deus meus, & Dominus meus in causam meam.*

¶. 27. *Judica me Domine secundum justitiam tuam; Domine Deus meus, non supergaudeant mihi.*

Redit ad orationem, idem aliis verbis repetens ad insinuandum affectum. Vidi sti, Domine, quanta sit oppressio paupe ris servi tui; *ne sileas*, quasi non videas, aut non possis, aut non velis defendere spe rantes in te: ne deseras me in tribulatione positum, quo modo faciunt, qui procul abeunt. Imò ne sedeas, quasi otiosè spe ctans, aut dormitans; sed exurge, & quasi justus judex, & potens, intende animum ad litem, quam cum persecutoribus habeo; intende, inquam, in causam meam, &, si justitia tua, quæ rectissima est, ju dicat, me injustè ab adversariis opprimi, libera me de manibus eorum, ne amplius gaudeant de miseriis meis.

¶. 28. Non dicant in cordibus suis: euge, eu-  
ge animæ nostræ, nec dicant, devoravimus eum.

¶. 29. Erubescant, & revereantur simul, qui  
gratulantur malis meis.

¶. 30. Induantur confusione, & reverentia,  
qui magna loquuntur super me.

Explicat, quod dixerat: non superga-  
deant &c. Non exultent in cordibus suis  
super vitam meam, quasi jam extinctam;  
non possint jaētare, me ab eis, quasi à  
leonibus jam devoratum. Sed contrà po-  
tiūs, amissâ spe victoriæ, erubescant, &  
verecudentur simul omnes inimici mei,  
qui nunc spe victoriæ gratulantur sibi de  
malis, mihi imminentibus. Nec solùm  
leviter erubescant, sed toti cooperiantur  
confusione, qui magnificè jactabant poten-  
tiā suā super me.

¶. 31. Exultent, & lātentur, qui volunt ju-  
stitiam meam, & dicant semper, magnificetur Do-  
minus, qui volunt pacem servi ejus.

¶. 32. Et lingua mea meditabitur justitiam  
tuam, totā die laudem tuam.

Quemadmodum precatus est, ut iniqui  
contundantur: sic nunc precatur, ut justi  
exultent, & lātentur, qui bene sibi vo-  
lunt, & amant innocentiam suam, vel  
cipiunt justitiam suam palam apparere.

Exci-

( o )

71

Excitat quoque ad laudem Dei omnes, qui cupiunt pacem, secuturam ex liberatione suâ ab omnibus malis. Demum promittit gratitudinem suam, lingua mea frequenter exercebitur in prædicanda laude justitiae tuæ. S. August. hoc loco piè monet, eum semper Deum laudare, qui semper bene agit.

### PSALMUS XXXV.

**T**itulus: *In finem, servo Domini David.*

*Sensus est: Psalmus inspiratus servo Domini Davidi, qui canendus est jugiter usque in finem, quique ad Christum pertinet, qui legis, & Prophetarum est finis.*

Argumentum est, immensam ferè esse quorundam hominum malitiam, sed multò maiorem Dei misericordiam, & justitiam.

¶. i. *Dixit iniquus, ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.*

Describit duas primas peccati radices, quarum altera est in voluntate, quæ decernit male agere; altera in intellectu, qui non cogitat timorem Domini, prohibentis peccatum. Iniquus decrevit delinquere, & in peccatum consensit ideo, quia non cogitavit timorem Dei omnia videntis.

E 4

¶. 2

¶. 2. Quoniam dolosè egit in conspectu ejus, ut  
inveniatur iniquitas ejus ad odium.

Probat, injustum non habere timorem Domini. Nam in conspectu ipsius Dei dolosè egit cum Deo ipso, & omnibus hominibus, adeò graviter, ut iniquitas ejus non inveniatur apud Deum ad veniam, sed ad odium, quod certè nunquam fecisset, Deum timuisset.

¶. 3. Verba oris ejus iniquitas, & dolus, noluit intelligere, ut bene ageret.

Non tantùm dolosè agit, sed etiam verba ejus nihil aliud sunt, quam dolus, & iniquitas, ut vel lèdat aperte, vel decipiat. Nec excusare se potest ignorantia, quia hæc voluntaria est: decreverat malè agere, &, ut malè ageret, scientiam bene vivendi contempsit.

¶. 4. Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astigit omni via non bone: malitiam autem non odivit.

Ordine retrogrado descripsit primò opera injusta, dein verba, nunc cogitationes. Opera, & verba illa non casu, sed in secreto cubilis sui præmeditatus, patravit, vel effudit. Dum inter meditandum varia consilia occurserent, quasi viæ ad operandum, approbavit omnia mala consilia,

consilia, quia corrupta est ejus voluntas,  
& ideo malitiam amavit, non quia mala  
est, sed quia utilis visa est.

v. 5. Domine in cælo misericordia tua: & ve-  
ritas tua usque ad nubes.

v. 6. Justitia tua sicut montes Dei, judicia  
tua abyssus multa.

Transit nunc ad bonitatem Dei, quæ  
major est hominum malitiâ. Tam magna  
est misericordia tua, ut à terrâ ad cælum  
pertingat, & omnia repleat; item tanta  
est veritas, seu fidelitas tua, quæ facit  
observari, quod misericorditer promitti-  
tur. Justitia tua magna est instar mon-  
tium altissimorum, quæ nubes aliquando  
superant. NB. Res magnæ dicuntur res  
Dei, cedros Dei, montes Dei &c. Demum  
judicia, quæ sunt actus justitiæ, sunt in-  
scrutabilia, sicut abyssus, quæ vorago  
oculis penetrari non potest.

v. 7. Homines, & jumenta salvabis, Domi-  
ne, quemadmodum multiplicasti misericordiam  
tuam, Deus.

Ostendit nunc, misericordiam Dei ma-  
ximam esse. Conservas, nutris, reples  
temporalibus bonis non solùm homines,  
seu eos, qui ratione utuntur, sed & ju-  
menta, seu eos, qui, instar jumentorum,

E s

solo

solo sensu, & appetitu ducuntur. Et verè multiplicasti misericordiam tuam, Deus, qui tot blasphemos, maledicos &c. quasi manibus propriis sustentas, portas, alis, gaudiis reples &c.

*V. 8. Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.*

Homines carnales, quos jumenta appellavit, corporali salute contenti esse debunt, quam etiam solam noverunt, & appetiverunt: at filii hominum, quasi pulli sub alis gallinæ, ita illi sub alis tuis, Deus, amantissimè collecti, & quiescentes, omnia bona à te uno sperabunt. Quàm dulcè est sub alis Dei soveri, & paternam ejus pietatem experiri.

*V. 9. Inebriabuntur ab ubertate domūstuae: & torrente voluptatis tuae potabis eos.*

Et quidem filii hominum in alterâ vitâ inter bona ineffabilia fruentur plenâ satiety. Prima similitudo est à recipiente: inebriabuntur &c.; recipiens tunc est contentus, cùm est plenus, ut nihil amplius appetat. *Et torrente &c.* hæc similitudo est ab ipsâ re, quæ datur: abundantia sapientiæ, & scientiæ divinæ, more torrentis, rapiet animum magno impetu ad amorem, & fruitionem summi boni.

v. 10. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Ideo torrente nos potabis, quia apud te est fons vitæ, unde torrens ille descendit. Fons vitæ, seu sapientiæ: vita enim Eleitorum consistit in hâc summâ sapientiâ, seu visione Dei. Dein metaphoras explicat: in te ipso, qui lux, & fons luminis es, videbimus te lumen inaccessibile, & indeficiens.

v. 11. Prætende misericordiam tuam, scientibus te: & justitiam tuam bis, qui recto sunt corde.

Docet, magna ista bona ad solos justos pertinere. Utitur, more Prophetarum, Imperativo pro Indicativo, ac bis idem dicit. Extendes hanc magnam misericordiam tuam ad eos solos, qui te cognoscunt notitiâ familiaritatis, & amicitiæ, qui tibi obediunt, quorum preces exaudis. Felicitas æterna misericordia est, quia ex dono gratiæ justificamur; justitia est, ut pote corona justitiæ, & merces meritorum.

v. 12. Non veniat mihi pes superbia, & manus peccatoris non moveat me.

Precatur pro dono perseverantiæ, ac præsertim contra vitium superbiæ, cui obno-

obnoxii sunt magni viri, qualis ipse erat.  
Non contingat mihi, ut incipiam habere  
affectum superbiæ, & operatio peccatoris  
non inducat me ad consensum peccati, &  
sic vel ex meo vitio, vel ex tentatione alio-  
rum dejiciar de statu meo, & cadam.

V. 23. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniqui-  
tatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

Ratio, cur tantopere sibi timeat à super-  
biâ ; ibi, ob superbiam ceciderunt pri-  
mus Angelus cum sociis, primus homo  
cum uxore ; & postquam exciderunt è  
statu gratiæ, expulsi sunt è loco felicitatis,  
nec stare potuerunt in eo, ubi posuerat  
eos Dominus, ad majora provehendos,  
si in bono perseverarent.

### PSALMUS XXXVI.

**T**itulus, & argumentum : *Psalmus ipsi  
David.*

*In titulo nihil est novi. Consultit animis pusil-  
lorum, qui facile scandalizantur, cum vident in  
hoc mundo impios prosperari, & inde dubitare inci-  
piunt de providentiâ Dei, & animari ad imitanda  
opera impiorum. Psalmus non est continua oratio,  
sed collectio sententiarum, quas versiculi ordine  
alphabetico continent.*

Aleph. V. 1. *Noli emulari in malignantis-  
bus, neque zelaveris facientes iniquitatem.*

V. 2.

v. 2. Quoniam tanquam fœnum velociter  
arecent, & quemadmodum olera herbarum citè  
decident.

Ne contendas cum malignantibus in  
temporalibus bonis per fas, & nefas acqui-  
rendis, neque irascaris, si minus bene  
æmulatio ista succedat: neque indignoris  
succensus zelo super injustum, nempe ju-  
dicans Deum, tot bonis iniquos afficien-  
tem. v. 2. Aptè ostendit brevitatem tem-  
poralis prosperitatis: fœnum enim, &  
oleræ non habent profundas radices, ut  
cedri, & palmæ, quibus comparari so-  
lent justi.

Beth. v. 3. Spera in Domino, & fac bonita-  
tem, & inhabita terram, & pasceris in divitiis  
eius.

v. 4. Delectare in Domino, & dabit tibi pe-  
titiones cordis tui.

Absterruit nos à malo, nunc incitat ad  
bonum. Si vis beatus, & felix esse, spe-  
ra in solo Deo, omnis felicitatis authore:  
sed ut spes firma sit, bene operare juxta  
mandata Dei, & tunc securus inhabita ter-  
ram; quis enim te expellat, si amicus ejus  
fueris, cuius est terra, & plenitudo ejus?  
imò terra ad te alendum abundè proferet  
fructus suos. Ut tamen bene opereris,  
sis

sis amicus Dei , & in eo securè confidas,  
ama Deum ex corde , & ille sit deliciæ tuæ;  
& tunc securus eris , quia dabit tibi , quid-  
quid cor tuum desiderabit. Si id aliquando  
non fiat , dat Deus homini aliquid melius,  
quod etiam scit veram petitionem cordis  
eius , nempe ingens meritum patientiæ.

Gimel. v..5. *Revela Domino viam tuam , &*  
*spera in eo , & ipse faciet.*

v.6. *Et educet quasi lumen justitiam tuam , &*  
*judicium tuum tanquam meridiem.*

Antè remedium dedit contra morbum  
interiorem famis , sitis &c. , jam dat con-  
tra morbum exteriorem persecutionis.  
Aperi in oratione coram Deo opera tua , &  
confide in Domino , qui faciet judicium ,  
& justitiam : deteget falsitatem testium ,  
ut innocentia tua , quæ erat quasi in tene-  
bris sepulta ob calumnias , ab omnibus  
conspiciatur , ut sol in meridie. Patet hoc  
in historia Susannæ.

Daleth. *Subditus es Domino , & ora eum.*

v.7. *Noli emulari in eo , qui prosperatur in*  
*via sua , in homine faciente injusticias.*

Hæc verba : *subditus es &c.* pertinent  
ad v. præced.; separantur hic , quia ibi  
incipit litera Daleth. Semper Deo ad nu-  
trum obedias , & eum assiduè ora , ne , si  
vide-

videris hominem felicem , & simul inju-  
stum , tu sias illius æmulus , h. e. ne ejus  
felicitas tentet te , & inducat ad injustitiam .

He. v. 8. *Desine ab ira , & derelinque furo-*  
*rem , noli æmulari , ut maligneris.*

v. 9. *Quoniam qui malignantur , extermina-*  
*buntur , sustinentes autem Dominum , ipsi hæredi-*  
*tabunt terram.*

Dicit idem , quod ab initio ; inculcat  
verò , ut magis inhæreat memoriæ. Cùm  
videris impium florere , non irascaris , nec  
incipias furere , dicens : Quare iste ini-  
quus prosperatur ? ubi est justitia , ubi  
providentia Dei ? Noli etiam , imitando  
malignos , fieri eorum socius : quia hi ex-  
terminabuntur de terrâ , & detrudentur  
in infernum . Qui verò abstinent se ab  
iniquitate , & à Domino mercedem suam  
sperant , ipsi terram , quasi propriam hæ-  
reditatem nunquam amittendam , possi-  
debunt . Pii cùm migrant ad Deum , cæ-  
lum , & terram acquirunt .

Vau. v. 10. *Et adhuc pusillum , & non erit*  
*peccator , & quæres locum ejus , & non invenies.*

v. 11. *Mansueti autem hæreditabunt terram ,*  
*& delectabuntur in multitudine pacis.*

Imò malignantes citò exterminabuntur .  
Et adhuc pusillum temporis pertransibit ,  
 &

& peccator, qui videbatur felix, non apparet; in terrâ frustra eum requires, quia periit omnino. Qui autem, videntes impios prosperari, non indignantur, nec irascuntur Deo, sed patienter tolerant id, quod Deo placet, non solum hanc, sed & illam terram viventium, à quâ longissimè absunt omnes inimici, possidebunt, & fruentur jucunditate pacis æternæ.

Zain. ¶. 12. *Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis.*

¶. 13. *Dominus autem irridebit eum; quoniam prospicit, quod veniet dies ejus.*

Docet non multùm formidandas esse ini-  
quorum insidias. Attentè respiciet pecca-  
tor omnes actiones justi, ut inveniat adi-  
tum ad eum perdendum; instar famelici  
canis desiderabit interitum ejus, ac præ  
irâ, & indignatione dentibus frendebit.  
At Dominus, sinè cuius voluntate ne fo-  
lium cadit in terram, irridebit eum, quia  
videt instare diem interitus ejus, & illum  
antè rapiendum, quâm justo nocere po-  
tuerit. Et licet, permittente Deo, eum  
occideret, animam tamen priùs suam oc-  
cidit; mors interim justi est pretiosa: ergo  
meritò irridendus, qui alterius ruinam  
quærens, suam non videt.

Chet.

**Chet.** v. 14. *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum.*

v. 15. *Ut dejiciant pauperem, & inopem, ut trucident rectos corde.*

v. 16. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.*

Declarat jam, quod obscurius dixerat in Zain. Stant peccatores armati gladiis, & arcubus extensis, observantes tempus occidendi justum, ut videlicet tunc dejiciant arcu, & trucident gladio justum, qui quandoque pauper, & inops est, & rectus corde. Sed Deus, qui prospicit omnia ex alto, facit, ut gladius convertatur in corda ipsorum, arcus conteratur, & ipsis solis noceat, & sic irridebit eos. Per arcum, & gladium poteris etiam intelligere calamitas linguæ &c.

**Teth.** v. 17. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.*

v. 18. *Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus.*

Ne justi pauperes inquis divitibus videant, & eorum exemplis seducantur, munit eos David his 2. vv. Magis expetenda est justitia cum parvis opibus, quam multæ copiæ cum injustitiâ. Justus dirigitur à Deo, ut sciat uti divitiis; non est avarus,

F pro-

prodigus &c. ut peccator superbus, qui nec ideo statum suum diu conservare potest. Unde ait: *Quoniam brachia &c.* potentia, & fortitudo peccatorum facile deficiet, quia nititur brachio carnis, nec divitiæ illum juvare poterunt; justi autem potentia, qui est solus Deus, nequit deficere.

Jod. v. 19. *Novit Dominus dies immaculorum, & hæreditas eorum in æternum erit.*

v. 20. *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.*

Confirmat felicitatem justorum etiam inter modicas opes. Approbat Dominus vitam justorum, eique favet, & benedit, & ideo dies eorum erunt diurni, & hæreditas eorum cum ipsis diutissimè conservabitur. Tempore communis famis non solum non erubescunt mendicando, sed etiam habebunt ex suis copiis, unde comedant ad satietatem.

Caph. *Quia peccatores peribunt.*

v. 21. *Inimici vero Domini mox, ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.*

*Quia &c.* pertinet ad v. præced., separatur vero, quia præfigitur Caph. Ideo justi pacificè sua possidebunt, & in tempore

pore famis saturabuntur, quia peccatores, qui eos turbare, eisque sua diripere solebant, peribunt. Dein sicut amici Dei habebunt æternam felicitatem, nec tempore famis confundentur: ita inimicis Dei erit brevissima felicitas: statim enim, atque exaltari cœperint, evanescent instar fumi, qui dum exaltatur, consumitur, nec relinquit suî vestigium.

Lamed. ¶. 22. *Mutuabitur peccator, & non solvet: justus autem miseretur, & tribuet.*

¶. 23. *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei disperibunt.*

Confirmat dicta à ¶. 17. Nam sæpiissimè accidit, ut peccator, licet ditissimus, mutuò accipiat pecuniam, nec tamen restituat: quia scilicet supra censum vult lautè vivere, superbè habitare, vestiri; indè semper laborat ære alieno: contrà justus etiam ex modico suo scit misereri pauperis, & tribuere sinè spe recuperandi. Quia benedicentes Deo hæreditabunt terram, & sic semper habebunt, unde tribuant; maledicentes verò Deo, ut blasphemi, ingrati, disperibunt, ut non habeant, quod tribuant.

Mem. ¶. 24. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet.*

¶. 25. Cùm ceciderit , non collidetur , quia  
Dominus supponit manum suam.

Incipit exponere singularem providen-  
tiā erga justos , ne , visâ impiorum  
prosperitate , ad peccatum allici se sinant.  
à Domino actiones , & opera justi dirigen-  
tur ; & hinc fiet , ut justus viam Domini  
diligat , libenter sequatur. Cùm ceciderit &  
intelligi potest de miseriis & corporis , &  
animæ. Si justus ceciderit in aliquam tri-  
bulationem , Deus ope suâ aderit , ne om-  
nino succumbat. In tentatione peccati  
non collidetur , h. e. non perveniet ad  
consensum culpæ lethalis , quia Deus au-  
xilio gratiæ suæ sustentabit eum.

Nun. ¶. 26. Iunior fui , etenim senui , &  
non vidi justum derelictum , nec semen ejus quærebus  
panem.

¶. 27. Totâ die miseretur , & commodat , &  
semen illius in benedictione erit.

Quod jam dixit , suâ experientiâ probat;  
Puer fui , & postea senui , & in tam longo  
tempore nunquam vidi justum ita à Deo  
derelictum , ut gravi inopiâ premeretur,  
nec vidi filios ejus panem mendicantes.  
Sed contra potius vidi , quòd justus omni  
tempore ita abundet , ut vel ex misericor-  
diâ donet , vel certè mutuò det aliis de fa-  
culta-

cultatibus suis; unde & filii ejus benedicti  
à Deo, copiis abundabunt, vel ab omnibus  
benedicentur, tanquam filii optimorum  
parentum.

Samech. v. 28. Declina à malo, & fac bo-  
num, & inhabita in sæculum saceruli.

v. 29. Quia Dominus amat judicium, & non  
derelinquet sanctos suos: in æternum conservabun-  
tur.

Quia id semper expertus erat, jam hor-  
tatur: declina à malo, & fac bonum, quæ  
sunt duo prima præcepta justitiae, & se-  
curus inhabitabis terram, etiam illam vi-  
ventium in æternum; nam Dominus ju-  
stissimus est, & justè judicat, & ideo non  
derelinqueret justos servos suos, quia in  
æternum conservabuntur.

Ayn. v. 30. Injusti punientur, & semen im-  
piorum peribit.

v. 31. Justi autem hereditabunt terram, &  
inhabitabunt in sæculum saceruli super eam.

Duo hi versiculi explicatione non egent.

Phe. v. 32. Os justi meditabitur sapientiam,  
& lingua ejus loquetur judicium.

v. 33. Lex Dei ejus in corde ipsius, & non sup-  
plantabuntur gressus ejus.

Non solùm Deus justos ab impiorum  
oppressione liberabit; sed idem efficient

justi per sapientiam suam, quæ etiam est donum Dei. Justus non temerè profundet verba, sed sapienter loquetur, ut non possit capi in sermone. Ratio est: quia justus habet in corde suo legem Dei; unde, dum loquitur, cogitat mandata Dei, ut non peccet, & ideo nemo illum circumveniendo faciet errare.

Zade. v. 34. Considerat peccator justum, & querit mortificare eum.

v. 35. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum, cum judicabitur illi.

Declarat jam dicta: Peccator justum diligenter observabit, quid loquatur, & agat, & quærit supplantando illum occidere, utique accusando illum coram judice. Deus autem non permettit, ut peccator habeat justum in suâ potestate; sed faciet, ut sapienter loquendo evitet fraudes ejus; nec judex damnabit justum, cùm ei judicium fieri. Eadem dicta sunt in Zain; sed ibi sermo erat de violentiâ, hìc de astutiâ.

Coph. v. 36. Exspecta Dominum, & custodi viam ejus: & exaltabit te, ut hereditate capias terram; cùm perierint peccatores, videbis.

Hortatur justum, ut speret in Deo, & per-

¶ ( o ) ¶

87

perseveret in justitiâ. Spera in Deo, si fortè differri tibi viderur promissio ejus, & non declines à viâ jam inchoatâ justitiæ, ut, cum implebitur promissio ejus, possideas, quasi propriâ hæreditate, terram viventium. Cùm peccatores omnes judicio di-  
vino condemnati perierint, tunc videbis, quod nunc speras.

Res. v. 37. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.*

v. 38. *Et transivi, & ecce non erat, quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.*

Dixerat: cùm perierint peccatores, videbis; poterat justus quærere: quando hoc erit? Ideo nunc addit, brevi id futurum esse. Vidi impium positum in altissimo gradu dignitatis, & potestatis, & radicarum, ac fundatum opibus, clientelis &c., ut videatur æterna futura ejus felicitas. Vix illum pertransii, & ecce respicio post me, & evanuerat; quæsivi, ubi fuisset, & an vestigia remanerent tantæ magnitudinis, & non est inventus locus ejus, quasi nunquam ibi fuisset. Quàm vana est omnis humana superbia!

Schin. v. 39. *Custodi innocentiam, & vide equitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico.*

v. 40. *Injusti autem disperibunt simul, reliquiae impiorum interibunt.*

F 4

Per-

Pergit in adhortatione: Conserva innocentiam erga te ipsum; judica, quod rectum est, erga proximos: quia dabit Deus in præmium homini pacifico, ut relinquit filios post se; vel sensu altiori intellige de bonis residuis post mortem propter bona opera. Contrà injusti, nemine excepto, peribunt, nec filios in hoc sæculo relinquunt, nec boni aliquid eis reliquum erit, cùm omnia in concupiscentiis suis, & sceleribus consuimpserint.

Thau. v. 41. *Salus autem justorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis.*

v. 42. *Et adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo.*

Hæc est recapitulatio Psalmi totius, & satis aperta, & perspicua.

### PSALMUS XXXVII.

**T**itulus: *Psalmus David, in rememorationem de Sabbato.*

*Psalmus hic unus est ex iis, qui propriè ad pœnitentiam pertinent; compositus à pœnitente Davide, in rememorationem Sabbati, h. e. quietis amissæ in statu innocentia; Posset etiam intelligi de Sabbato, quod agit bona conscientia, dum gratiâ Dei fruitur; & quod amittit, qui peccat, & cuius cum*

cum gemitu recordatur, qui veram pœnitentiam  
agere incipit.

Argumentum est oratio pœnitentis, similis  
illi, quæ habetur Ps. 6.; & valde probabile est  
compositam esse eo tempore, quo David fugit de  
Ierusalem ob persecutionem Absolonis.

¶. 1. Domine, ne in furore tuo arguas me, ne-  
que in irâ tua corripias me.

Precatur, ut Deus eum non puniat in  
irâ, & furore, ut judex cum reis facit,  
sed in misericordiâ, ut medicus cum ægro-  
tis se gerit.

¶. 2. Quoniam sagittæ tuæ in fixæ sunt mihi, &  
confirmasti super me manum tuam.

Ut faciliùs veniam impetret, incipit  
coram Deo deplorare infelicitatem, quam  
secum affert peccatum lethale. Nam ex-  
perior iram tuam gravissimam esse: mul-  
tæ enim tribulationes, te puniente pecca-  
tum meum, acciderunt mihi, nec leviter  
tantum tetigerunt, quia tu manum tuam  
aggravâsti super me, ut sagittæ profun-  
diùs penetrarent.

¶. 3. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ,  
non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Describit effectum sagittarum. Aspe-  
ctus iræ tuæ, quæ mihi semper ante oculos  
mentis versatur, carnem meam affli-

F 5 git,

git, pallere, & languere cogit. Aspectus deformitatis, & gravitatis culpæ meæ ita me conturbat, ut nulla sit requies, & ipsa etiam ossa contremiscant.

v.4 Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me,

Ratio, cur tantopere perturbetur: quia peccata mea multa sunt, & magna. Unum adulterium cum homicidio conjunctum vocat multa peccata, quia in eo varias deformitates considerat. Nam offendit primò servum fidelem, eripiendo ei uxorem, & vitam; secundò Bethsabeam, spiritualiter eam occidendo; tertio uxores proprias, non servando eis fidem; quartò populum universum malo exemplo; demum Deum. Gravitatem peccati agnoscit ex adjunctis: occidit Uriam, innocentem, fidelem, qui tum Davidi militabat; ipsum ministrum suæ mortis esse voluit; & quia scripserat ad Joab, ut Uriam occideret, credi voluit, illum magni criminis reum esse, & sic famam maculavit: demum, quæ summa gravitatis causa est, se Deo pro tot, & tantis beneficiis ingratum exhibuit.

v.5. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

Intellige hæc de 9. mensibus inter peccatum,

( o )

91

catum, & admonitionem Nathan Prophetæ. Insipientia mea, quæ causa fuit, ut peccati vulnera non adverterem, & eadem per pœnitentiam curare differrem, etiam causa fuit, ut eadem putrescerent, & graviora, magisque incurabilia fierent. Percicatrices non intellige signa, quæ remanent post curationem plagæ, sed plагam non curatam, quæ solet claudi ad modum cicatricis; sed quia non expressus sanguis corruptus, nec aliis mediis foveatur, putrescit, & corrumpitur.

¶. 6. Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Miser factus sum miseriâ culpæ, & pœnæ, & curvatus valde, tum quia faciem animæ à Deo converti ad carnales, & infimas voluptates; tum quia præ pudore cælum aspicere non possum, & humiliis, atque abjectus terram aspicere cogor; & ideo, mordente conscientiâ, totâ die mœrens incedebam. Quæ lætitia sit homini misero, agnoscenti miseriam suam?

¶. 7. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

¶. 8. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis rugiebam à gemitu cordis mei.

Transit à peccato suo particulari ad corruptio-

ruptionem generalem, quam in carne suâ experiebatur, unde illud particulare peccatum manaverat. Pars ista bestialis, & concupiscentia, disrupto fræno justitiae originalis, parit perpetuò desideria ignominiosa, & turpia, & ideo repletur illusionibus spirituum malignorum: & non est sanitas in carne meâ ob malum passionum variarum, quæ illam infirmant: & ideo afflitus sum &c. quia pudet me hominem ratione prædictum istis bestialibus motibus non posse carere, & ideo rugiebam præ dolore, à gemitu interiore cordis mei provocatus ad rugitum, & clamorem exteriorem.

V. 9. Domine ante te omne desiderium meum,  
& gemitus meus à te non est absconditus.

Declarat, ad quem corde gemit. Tu Domine, solus vides omne desiderium meum, quod non est aliud, nisi ut aliquando liberatus à concupiscentiâ malâ, perveniam ad perfectam quietem.

V. 10. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Pergit describere corruptionem naturæ humanæ. Illud *cor meum* &c. significat bellum intestinum ex rebellione partis inferioris à superiore; addit natam indè infirmi-

firmitatem, ut homo, velit, nolit, patiatur desideria mala; & demum ignorantiam in mente.

v. 11. Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt.

Peccati pœnæ etiam sunt bella extrema, persecutio[n]es, detractiones &c. In hâc rebellione Absolonis etiam multi amicorum, & proximorum meorum adversus me conspirârunt.

v. 12. Et qui juxta me erant, de longe steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Illi etiam, qui juxta me esse solebant, ut milites, aut servi, longè recesserunt, nec adesse voluerunt tempore persecutionis; interim inimici vi magnâ quærebant vitam mihi adimere.

v. 13. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos totâ die meditabantur.

v. 14. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

v. 15. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Hæc perspicua sunt, & verissima juxta l. 2. Reg. c. 16., ubi Semei malediceret Davidi, eumque virum Belial appellaret, & regni invasorem, quem David increbili

bili patientiâ sustinuit, neque permisit, ut  
ullus ei noceret, eumve reprehenderet.

*V. 16. Quoniam in te Domine speravi, tu  
exaudies me Domine Deus meus.*

Dat tres rationes, cur ita obsurduerit,  
& obmutuerit. Prima: utilius mihi putavi  
sperare in te Domine, quam in propriâ  
meâ defensione. Non attendi, quanta illi  
falsa, & vana in me jaëtarent: sciebam enim  
audiri, & cognosci omnia à te, qui es ju-  
stus judex, & reddes unicuique secundùm  
opera sua; & quia in te speravi, tu libe-  
rabis me à labiis iniquis, & à linguâ do-  
losâ.

*V. 17. Quia dixi, nequando supergaudeant  
mihi inimici mei, & dum commoventur pedes mei,  
super me magna locuti sunt.*

Ratio altera: bonum est mihi, patien-  
ter sperare in ope Dei, ne fortè, si impa-  
tiens fuero, & reddam malum pro malo,  
Deus derelinquit me, & inimici mei super  
ruinâ meâ lâtentur: neque id sinè causâ  
metuo; dum incipiunt nutare pedes mei,  
& ego inclino ad casum (quod factum est,  
dum fuit in periculo regni amittendi) ini-  
mici mei magna locuti sunt, comminan-  
tes mihi, & prædicentes extremum exi-  
tium.

*V. 18.*

v. 18. Quoniam ego in flagella paratus sum, &  
dolor meus in conspectu meo semper.

Tertia ratio : obsurdi, & obtutui,  
quia ob peccata mea paratus sum flagellari  
flagellis verborum, detractionum, imò  
verberum, & plagarum: nam peccatum,  
quod est causa continui doloris, semper  
animo obversatur.

v. 19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo,  
& cogitabo pro peccato meo.

Ideo in flagella paratus sum, quia ag-  
nosco, & confiteor me peccasse, & fla-  
gella commeruisse, & cogitabo pro pecca-  
to meo expiando. Pœnitens sollicitus sit  
pro expiatione peccati, & libenter accipiat  
occasions à Deo oblatas patientiam exer-  
cendi.

v. 20. Inimici autem mei vivunt, & confir-  
mati sunt super me, & multiplicati sunt, qui ode-  
runt me iniquè.

Conatur Deum ad misericordiam incli-  
nare: ego inter afflictiones patientiam ser-  
vo, ac si surdus, & mutus essem; interim  
inimici mei alacres sunt, & exultant; ro-  
bustiores, & fortiores evaserunt; creve-  
runt etiam quoad numerum, qui oderunt  
me ob causam falsam.

v. 21.

*V. 21. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.*

Verè oderunt me iniquè, nam detrahebant mihi, qui retribuebant mala pro bonis, nempe Absolon filius, & Achitophel Consiliarius: imò, quod gravius est, detrahebant mihi, quia sincero corde, & bonâ voluntate cum omnibus agebam, & sic contrarius eram inquis eorum operibus.

*V. 22. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris à me.*

*V. 23. Intende in adjutorium meum Domine Deus salutis meæ.*

Concludit petendo protectionem. Ne deserat me gratia tua: tu enim es Dominus meus, qui me condidisti, & Deus meus, qui ad te, summum bonum, me fecisti: ne discesseris à me, tanquam ab inimico: sed potiùs ut pater diligenter incumbe in auxilium meum, tu, qui author es salutis meæ, & in quo solo confido.

Atque hic est sensus literalis hujus Psalmi; verùm cùm idem de Christo, cuius personam David gerebat, explicari potest, illum Christo breviter applicabimus.

Alia

Alia explicatio ejusdem Psalmi.

v. 1. Christus pro corpore suo loquitur, quod est Ecclesia, eique postulat liberacionem.

v. 2. Dicit justè se petere Ecclesiæ liberationem; quoniam sagittas iræ Dei, quæ ad illam pertinebant, in se suscepit.

v. 3. Describit passionem suam generatim, ob quam à plantâ pedis usque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas. Quod autem dicit à facie peccatorum meorum, intelligitur de peccatis, non quæ ipse fecit, sed quæ in se punienda suscepit.

v. 4. Dicit, ideo in carne suâ non fuisse sanitatem à plantâ pedis usque ad verticem capitis: quoniam peccata, quæ suscepit expianda, tam multa sunt, & tam gravia, ut supergressa sint caput ejus multitudine suâ, & instar plumbi fuerint ob gravitatem suam.

v. 5. 6. 7. Hæc dicit pro corpore suo, deplorans corruptionem generis humani: quomodo quando quis dicit: doleo pedes, manus &c.; caput est, quod loquitur, non loquitur, quòd in se patiatur, sed quòd in membris.

v. 8. Hic incipit ordine recensere pa-

G sionem

sionem suam: pertinent enim hæc verba  
ad orationem in horto habitam.

¶. 9. & 10. Ad eandem orationem per-  
tinent, in quâ desideravit calicem transire,  
& cœpit turbari, pavere, tædere, &  
mœstus esse. Et ut experiretur amaritu-  
dinem imminentis passionis, noluit vir-  
tutem, & lumen Divinæ consolationis in  
partem inferiorem influere; ita ut etiam  
Angelus de cælo apparuerit confortans  
eum.

¶. 11. Hoc impletum est in Judâ amico  
& Judæis proximis, dum comprehende-  
runt eum.

¶. 12. Hoc impletum est in Apostolis,  
qui fugerunt, & in Petro, qui sequebatur  
a longè. *Et vim faciebant &c.* hoc imple-  
tum est in Concilio Sacerdotum, sollicitè  
quærentium falsa testimonia, ut eum per-  
derent.

¶. 13. Ad idem concilium pertinet.

¶. 14. & 15. Ad literam impleta sunt in  
**Christo**; qui coram Caiphâ primùm, dein-  
de coram Pilato, & Herode nullam attulit  
defensionem, sed sicut agnus coram ton-  
dente se obmutuit. Vide *Isai. c. 53.*

¶. 16. Ad idem silentium pertinet: ideo  
etim siluit coram hominibus, quoniam  
non

non tacebat coram Deo, à quo exspectabat remunerationem, salutem populi sui.

¶. 17. Servavit Christus invictam patientiam, ne de impatientia gauderent inimici, qui, dum commovebantur pedes ejus, h.e. dum infirmitas ejus ad tempus ostendebatur, magna loquebantur super eum, dicentes. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum &c.* Hunc invenimus subvertentem gentem nostram &c.

¶. 18. Ad literam impletum est in flagellatione, colaphizatione, coronatione.

¶. 19. Dicit, se annuntiaturum peccatum suum, quod non fecit, sed expiandum suscepit; & sollicitum futurum pro eo penitus delendo, quod fecit, cùm peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.

1. Petr. c. 2.

¶. 20. Hoc impletum est, cùm Princes, & Sacerdotes, existimantes se jam victoriam obtinuisse, exultabant, & Crucifixo insultabant.

¶. 21. Quando videlicet pendenti in cruce dicebant: *Vah, qui destruis templum Dei &c. descendat nunc de cruce &c.*

¶. 22. Hoc disertis verbis in cruce Dominus locutus est, cùm ait: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? quasi dicat:*

si dereliquisti ad tempus quoad consolatiō-  
nem , non derelinquas quoad resurrectio-  
nem.

¶. 23. Non derelinquas in inferno animam  
meam , neque des sanctum tuum videre corruptio-  
nem : sed intende in adjutorium meum , ostendens  
mihi vias vitæ , & adimplens me lœtitiā cum vultu  
tuo .

### PSALMUS XXXVIII.

**T**itulus , & argumentum : In finem , ipsi  
Idithum , canticum David.

Idithum , cui hic Psalmus ad canendum datus  
erat , fuit unus ex tribus principibus cantorum . l . I .  
Paralip . c . 16 . & l . 2 . c . 5 . Describit David va-  
nitatem vitæ præsentis ; hortatur ad spem in Deo  
collocandam , ad pacem servandam cum proximo ;  
unde Psalmus hic in finem , seu semper canendus  
est .

¶. 1. *Dixi , custodiam vias meas , ut non de-  
linquam in lingua mea .*

David sollicitus de vero bono non amit-  
tendo , firmiter decernit , magnâ in om-  
nibus circumspectione uti . Deliberavi ,  
& statui considerare omnes actiones meas ,  
ac potissimum custodire linguam , ex quâ  
pronum est oriri rixas , contentiones , jur-  
gia &c .

¶. 2 .

v. 2. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret  
peccator adversum me.

Cùm aliquis iniquus fortè irritaret me  
verbo injurioso, tum maximè custodivi os  
meum, ne prorumperet in aliquod ver-  
bum, cuius postea pœnitentiam agere de-  
berem.

v. 3. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à  
bonis, & dolor meus renovatus est.

Declarat, quam custodiam ori suo ad-  
hibuerit. Silui omnino, ac si mutus  
essem; humiliter patientiam habui; & silui  
à bonis, h.e. abstinui etiam à justâ repre-  
hensione, & defensione: iterum ergo do-  
lor renovatus est, quia proximum meum  
debitâ correptione fraudavi.

v. 4. Concaluit cor meum intra me, & in me-  
ditatione mea exardescet ignis.

Exponit effectum renovati doloris: ex  
dolore illo compassionis calefactum est  
cor meum dilectione; & indè meditari  
cœpi de miseriâ humanâ, de misericordiâ  
Dei, de ingratitudine hominum, de ab-  
undantiâ charitatis Dei erga ingratos, &  
malos &c. Ex simili meditatione ordinariè  
suscitatur ignis actualis charitatis Dei.

v. 5. Locutus sum in lingua mea; notum fac  
mihi Domine finem meum.

V. 6. *Et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam, quid desit mihi.*

Ex illo æstu interiori locutus sum lingua; non quam omnes intelligunt, sed lingua mihi nota, h. e. ego scio, quid voluerim dicere: nempe fac, Domine, per gratiam tuam, ut aperte cognoscam, finem vitæ meæ jam propè adesse; & fac, ut attentâ cogitatione penetrem, quām sit brevis numerus dierum meorum, & sciam, quām parùm temporis mihi superficit. Precatur igitur Deum, ne finat se decipi, ut plurimi decipiuntur, putantes diuturnum, quod est brevissimum, atque ideo properitatis contendunt acerrimè.

V. 7. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihil ante te.*

Edoctus à Domino, quod postulaverat, dicit, brevem esse vitæ suæ durationem, ut facillimè mensurari possit. Tum addit, quasi corrigendo se: parùm dixi, dies breves esse; *substantia*, hebraicè spatum vitæ, etsi aliquid est ante oculos hominum, qui præsentia tantum vident, sed *ante te*, qui intueris futura, & æternitatem, quæ omni caret mensurâ, nihil omnino est. Quid enim sunt pauci anni, qui velocissimè transeunt, ad infinitam durationem?

V. 8.

v. 8. Veruntamen universa vanitas omnis homo  
vivens.

Nec solum tempus vitæ nostræ brevissimum est; sed etiam omnis homo, etiam Monarcha, quem omnes mirantur, dum viget, & floret, nihil est, nisi universitas vanitatis: quidquid enim in illo est, sive sanitas, sive robur, sive pulcritudo, sive divitiæ, sive dignitas, sive potentia, totum fragile, & momentaneum est.

v. 9. Veruntamen in imagine pertransit homo,  
sed & frustra conturbatur.

Idem vehementius inculcat: Homo perambulat viam vitæ hujus, habens ante oculos non res veras, sed rerum umbras, atque imagines: nostra enim vita imago est vitæ beatæ, quæ sola est vera vita; nostra sanitas imago est immortalitatis &c. Unde sine ullâ causâ conturbatur homo in rebus temporalibus anxiè conquirendis, conservandis; frustra lætatur in lucro; frustra jacturam plorat; sunt enim tantum res imaginariæ, fragiles, caducæ.

v. 10. Thesaurizat, & ignorat, cui congerabit ea.

Probat unico exemplo, frustra conturbari homines opum studio, quia nesciunt qui laborent; hæredes enim saepe continuo

moriuntur, & hæreditas pervenit ad ignotos, vel inimicos. Hæredes sæpe dissipant brevissimo tempore, quæ pater, vel avus tantopere, & tamdiu quæsivit; vel etiam ingrati reddunt mala pro bonis: quæ si prævidere homines illi potuissent, thesaurizâssent sibi potius thesauros in cælo, & sine turbatione vitam istam traduxissent.

**V. 11.** *Et nunc quæ est exspectatio mea? nōnne Dominus? & substantia mea apud te est.*

Ex brevitate, & vanitate vitæ præsentis, tam clarè perspectâ concludit: quid igitur spero? quid quæro? quid opto? nōnne Dominus exspectatio mea, & spes est? Dein conversus ad Deum dicit: vita mea, & opes meæ apud Te sunt; nihili facio cunctas res creatas, Te unum præ rebus omnibus habere cupio, quia in Te sunt omnia.

**V. 12.** *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium insipienti dedisti me.*

Verùm quia peccata sola vera mala sunt, & viam ad Te impediunt, precor, ut ab illis me liberes, & quidem omnibus, præterita delendo, futura impediendo. Et licet insipientes, qui divina non capiunt, Te permittente, me deriderent, quod præsen-

( o )

105

præsentia contemnerem, & in Te solo  
sperarem;

¶. 13. *Obmutui, & non aperui os meum, quo-*  
*niam tu fecisti, amove à me plagas tuas.*

Ita tamen me gessi, ac si mutus, & sur-  
dus fuisset, nec opprobria illa audivisset:  
scio enim, quod Tu videns malam eorum  
voluntatem, eā utaris ad me humiliandum,  
& corrigendum. Libenter ideo accipio  
contumelias illas; sed plagas tuas à me  
remove. Loquitur de plagiis non patris,  
aut medici, sed judicis, ut sunt excæca-  
tio, obduratio, sensus reprobus, dam-  
natio.

¶. 14. *A fortitudine manūs tuā ego defeci in-*  
*increpationibus, propter iniquitatem corripiuisti ho-*  
*minem.*

¶. 15. *Et tabescere fecisti sicut araneam ani-*  
*mam ejus, veruntamen vanè conturbatur omnis*  
*homo.*

Ideo cupio removeri illas tuas plagas,  
quia ego ipse gravitatem manūs tuā per-  
cutientis expertus defeci, & planè con-  
sumptus sum, quando in furore tuo ar-  
guisti me. Hæc pœna gravissima conti-  
git Davidi, dum in pœnam adulterii, Deus  
illum permisit cadere in homicidium, quod  
est gravius, & in tantam cæcitatem, ut

G 5 per

per multos menses animæ suæ statum non cognoverit. Addit, eâdem crudeli pœnâ alios peccatores à Deo punitos. Ob peccata præcedentia corripiisti in furore tuo hominem peccatorem, & fecisti, ut anima ejus contabesceret instar aranæ, quæ laborat in texendâ telâ, ut capiat muscas, & interius ipsa exsiccatur, & consumitur. Sic animæ hominum carnalium, justo Dei judicio, perpetuò laborant in rebus temporalibus conquirendis, & in eo labore consumunt ingenium, & mentem, ut ne cogitent quidem de salute suâ, nec ullo desiderio tangantur veræ felicitatis. Concludit Propheta, ejusmodi hominem frustra conturbari, & tantopere laborare;  
*Quid enim prodest homini &c.*

*V. 16, Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam; auribus percipe lacrimas meas.*

Magno affectu Psalmum concludit, orans Deum; quid autem orer, paulò post explicabitur. Interim per *Orationem* intellige simplicem petitionem; per *deprecationem* vehementem clamorem; per *lacrimas* effectum, cuius vox magis resonat coram Deo, quam ulla verba.

¶. 17. *Ne sileas, quoniam advena ego sum  
apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.*

Adhuc postulat exauditionem, & non dum explicat petitionem. *Ne sileas, h. e.* responde petenti, vel : concede, quod peto: Tu enim nosti, quod ego non sum civis hujus mundi, sed advena, & peregrinus, ac per hoc civis civitatis supernae Jerusalem, quem ex exilio ad Te clamantem decet exaudiri.

¶. 18. *Remitte mihi, ut refrigererer, prius  
quam abeam, & amplius non ero.*

Nunc exponit petitionem suam. *Remitte mihi*, ne sis durus exactor, non instes pro solutione debitorum, ut ante discessum ex hac vita refrigererer, intelligens, mihi peccata esse remissa; & amplius non ero advena, & peregrinus, sed civis Sanctorum, & domesticus Dei.

## PSALMUS XXXIX.

**T**itulus: *In finem Psalmus David.*

Argumentum: SS. Ambr. Hieron. Augustin.  
Euthym. Psalmum exponunt de Christo, & Ecclesia, h. e. de Capite, & corpore, ita ut Christus semper loquatur, & primò in persona corporis sui, deinde in persona sua.

¶. I.

*V. 1. Exspectans exspectavi Dominum, & intendit mihi.*

Christus in personâ populi sui exponit longam exspectationem redemptionis: exspectavit enim supra quatuor annorum millia. *Exspectans &c.* longo tempore, sinè intermissione exspectavi Messiam; nec spe meâ fraudatus sum, cùm ad me audiendum intendit aures suas.

*V. 2. Et exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.*

*Intendit mihi*, quia exaudivit preces meas, & effodus exauditionis fuit, quòd eduxerit me &c. *Per lacum*, & *lutum* intellige statum impiorum, qui carent notitiâ Dei, ejus mandatorum, & infixi sunt in limo carnalium cupiditatum. Hoc malo liberat nos gratia Redemptoris: per fidem enim cognoscimus Deum, & æterna bona; per spem, & caritatem liberamur à cupiditatibus terrenis; possidemus pacem Dei, & animæ tranquillitatem.

*V. 3. Et statuit supra petram pedes meos, & dixerit gressus meos.*

Eduxerit me de lacu miseriæ, & luto fæcis statuit supra fidem, doctrinam, & exempla Christi; nec solum constituit pedes meos in viâ, lapidibus stratâ, sed etiam

etiam in viâ rectâ, & sic direxit gressus  
meos in viam pacis. Christus scil. resti-  
tuit hominem in viam, in quâ posuerat  
eum Deus initio creationis suæ, & de quâ  
homo deciderat.

¶. 4. *Et immisit in os meum canticum novum,  
carmen Deo nostro.*

Antea, ut eram homo vetus, ita canta-  
bam cantica vetera de amoribus mundi;  
sed renovatus spiritu mentis meæ, cœpi  
cantare canticum novum de amore Dei;  
quod canticum ipse Deus immisit in os  
meum, & est carmen Deo nostro jucun-  
dissimum.

¶. 5. *Videbunt multi, & timebunt, & spe-  
rabunt in Domino.*

Christus in personâ populi jam liberati,  
prædictit multos ad eorum exemplum libe-  
randos. Multi videbunt lacum miseriae,  
& liberationem aliquorum, timebunt la-  
cum, & sperabunt in liberatore.

¶. 6. *Beatus vir, cuius est nomen Domini  
spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias  
falsas.*

Hæc est laudatio, invitans homines ad  
imitandum liberatos. Verè felix est, qui  
spem suam verè ponit in nomine Domini, sive  
in Deo, qui solus omnipotens, & misé-  
ricors

ricors est; ideo potest, & vult de omni miseriā liberare sperantes in se. *Et non respexit ad auxilium vel hominum, vel rerum vanissimarum, & fallacium;* ut sunt prædictiones Astrologorum, incantationes Necromanticorum, observationes, & auguria.

*V. 7. Multa fecisti tu Domine Deus meus, mirabilia tua, & cogitationibus tuis, non est, qui similis sit tibi.*

Incipit explicare mysterium redemptoris. Tu Domine Deus multiplicasti mirabilia tua, & in adinventionibus sapientiae tuæ non est, qui Tibi comparari possit.

*V. 8. Annuntiavi, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.*

Ratio, cur nemo possit cum Deo comparari, quoad opera mirabilia, & cogitationes profundas. Manifestavi aliqua ejusmodi opera per Prophetas, per sapientes homines, per ipsa elementa mundi; sed tam multa sunt, ut ab homine numerari non possint, nec proinde manifestari omnina.

*V. 9. Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.*

*V. 10. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: iuns dixi: ecce venio.*

Inter

Inter omnia Dei mirabilia quasi in infinitum excellunt opera redemptionis nostræ, ut Christus jam ipse per Davidem explicat. Noluisti placari sacrificio pecorum, nec oblatione panum, vel thuris; sed victimam infiniti pretii; ideo aures, h.e. corpus mortale assumere me voluisti, ut per obedientiam usque ad mortem expiarem primi hominis inobedientiam: & quoniam holocaustum pecorum, & sacrificium pro peccato non admisisti, ideo dixi, ecce venio, ut ego ipse fiam Sacerdos, & sacrificium, quo placatus humano generi, educas homines de lacu miseriæ, & de luto fæcis.

¶. 11. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Exponit jam, ad quid veniat, cum dixerit: ecce venio. Per caput libri Chrysost. Theodoret. Euthym. rectè intelligunt totam S. Scripturam; & sensus est; Scripturæ omnes testantur, me ad hoc venturum fuisse in mundum, ut Tibi per omnia accuratissimè obedirem. Pater! libentissimè acceptavi decretum tuum, & posui legem tuam &c. h.e. nihil majori affectu desideravi, quam implere legem tuam,

¶. 12. Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesiast magna;

*magna, ecce labia mea non prohibeo, Domine ta  
scisti.*

Voluit Deus Pater, ut Christus non solum moriendo esset Redemptor, sed etiam ante passionem Doctor, & Magister humani generis; ideo ait: Prædicavi legem tuam justissimam, & opera veræ justitiae, quæ tu ab hominibus requiris, & hoc prædicavi coram innumeris populorum turbis, & tu, Domine, testis esse potes, quia id feci, & faciam deinceps.

¶. 13. *Justitiam tuam non abscondi in corde  
meo; veritatem tuam, & salutare tuum dixi.*

Hic discant Prædicatores, officio suo non deesse vel spe lucri, vel metu damni. Annuntiavi justitiam tuam, & non abscondi in corde meo vel per negligentiam, vel per timorem. Annuntiavi etiam veritatem tuam, sive fidelitatem, quâ reddit unicuique secundùm opera sua, & salutem, quam misericorditer præbes sperantibus in Te.

¶. 14. *Non abscondi misericordiam tuam, &  
veritatem tuam à concilio multo.*

Quod dixerat Salutare, nunc expressius vocat misericordiam, & cum veritate, seu justitiâ conjungit. Utramque, ait, publicè, & liberè prædicavi coram multitudo popolorum, nihil timendo. ¶. 15.

v. 15. Tu autem Domine, ne longè facias miserationes tuas à me : misericordia tua, & veritas tua semper suscepserunt me.

Transit à prædicatione ad passionem. Vides, Domine Pater, in quam acerbam passionem incidi ; quia non tacui manifestare hominibus justitiam, & misericordiam tuam ; ideo tu quoque non longè facias miserationes tuas à me, celeriter resuscitando : sicut haetenus misericordia tua, & fidelitas tua semper suscepserunt me.

v. 16. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniuriantes mea, & non potui, ut viderem.

v. 16. Multiplicatae sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

Ratio, cur dixerit : ne longè facias &c. Quia passiones plurimæ in me irruerunt ; quarum causa sunt tot hominum, quas in me suscepi, iniuriantes, ut non prævaluerim videre, quot sint : nam superant numerum capillorum ; & ideo quasi obrutus multitudine tantâ malorum, defeci, vigor ipse, & ipsa vita dereliquit me. Illud: non potui, ut viderem, accipiendum est more humano : Christus enim, qui sine dubio accuratissimè novit numerum peccatorum omnium, solum significat, illa esse innumerata.

H

v. 18.

¶. 18. *Complaceat tibi Domine, ut eruas me,  
Domine ad adjuvandum me respice.*

Redit ad orationem cœptam ¶. 15. *Pla-  
ceat Tibi, Pater, quem etiam Dominum  
agnoſco propter formam servi, quam ac-  
cepi, placeat, inquam me eruere de do-  
loribus: videris quidem à me faciem aver-  
tisse, dum finis me crucis tormenta finè  
ullâ consolatione perpeti; sed jam *reſpice  
ad me adjuvandum, ut brevi repleas me læ-  
titiâ gloriosæ resurrectionis.**

¶. 19. *Confundantur, & revereantur simul,  
qui querunt animam meam, ut auferant eam.*

Per imprecationem, more Prophetis  
usitato, prædicti, futuram confusionem,  
& erubescientiam eorum, qui quærunt  
Christum occidere, & penitus extinguere.  
Sic Judæi confusione, & erubescentiâ re-  
pleti sunt post resurrectionem Christi, &  
magis replebuntur in die judicii.

¶. 20. *Convertantur retrorsum, & revereantur,  
qui volunt mihi mala.*

Idem repetit. Confusi recedant, & eru-  
bescant non solùm ii, qui quærunt me in-  
terficere, sed & quicunque cupiunt con-  
fusionem, & ignominiam meam.

¶. 21. *Ferant confestim confusionem suam, qui  
dicunt mihi, euge, euge.*

Idem

Idem tertio repetit. Non differatur in longum tempus eorum confusio; sed statim, post tridui videlicet brevissimum spatium, confusionem suam experiantur, qui de me, quasi victo, inter se gratulantur dicentes de me, *euge, euge*: de his vocibus vide Ps. 34. v. 24.

v. 22. *Exultent, & latentur super te omnes querentes te, & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.*

Per modum precationis bonae jam praeditum laetitiam sectatoribus suis. Exultabunt, & laetabuntur in Deo, divino scilicet inenarrabili gaudio, omnes, qui quaerunt gloriam Dei, eum diligunt, in eo sperant. *Et dicant semper &c.* non sibi tribuant bonum, quod habent; sed dicant, magnificetur Deus ab omnibus, qui diligunt Salvatorem, quem tu misisti; vel: qui diligunt aeternam salutem, quam tu solus dare potes.

v. 23. *Ego autem mendicus sum, & pauper, Dominus sollicitus est mei.*

Revertitur ad statum suum, in quo erat tempore passionis. Ego, scilicet Homo, egenus sum, & destitutus humano auxilio; Dominus tamen cogitat pro me. Patrem vocat Dominum, quia loquitur in personâ

H 2 servî,

servi, ut Filius hominis, secundum quam  
naturam pendebat in cruce.

**V. 24.** *Adjutor meus, & protector meus es tu,  
Deus meus, ne tardaveris.*

Dixerat unico vocabulo Dominus *soli-*  
*citus* est, nunc duobus: adjuvas in supe-  
randis malis præsentibus; protegis in re-  
movendis futuris. Concludit: *Deus ne tar-  
daveris eripere me ab omnibus malis per ce-  
lerem resurrectionem.*

## PSALMUS XL.

**T**itulus: *In finem, Psalmus ipsi David: sen-  
sus constat aliunde.*

Argumentum: *Videtur hic Psalmus, ut  
precedens, ad Christi passionem totus pertinere: ex  
eo Christus Joan. 13. unum v. citat, ad demon-  
strandum, Iudæ prodictionem fuisse multò antè pre-  
dictam.*

**V. 1.** *Beatus, qui intelligit super egenum, &  
pauperem; in die malâ liberabit eum Dominus.*

*Beatus, qui Christum nudum in cruce  
pendentem, seu passionem ejus attentè  
cogitat, meditatur: in die malâ &c. Intel-  
lige diem judicii ultimi, quæ erit dies so-  
lius justitiæ; ubi audient: venite bene-  
dicti &c.*

**V. 2.** *Dominus conservet eum, & vivifiet  
eum,*

eum, beatum faciat eum in terra, & non tradat  
eum in animam inimicorum ejus.

Declarat & prædictit, jam bona, quæ  
dabuntur intelligenti super egenum, &  
pauperem. Dominus custodiet eum, dum  
vivit, & post mortem iterum vivere fa-  
ciet, resuscitando eum cum justis; & tunc  
verè, perfecteque eum beatum reddet in  
terrâ viventium; neque in hoc sæculo,  
neque in futuro sinet eum subjici voluntati  
inimicorum, sive hominum, sive dæ-  
monum.

XV. 3. Dominus opem ferat illi, super lectum do-  
loris ejus: universum stratum ejus versasti in infir-  
mitate ejus.

Quoniam tam multa bona promiserat  
intelligentibus super egenum, & paupe-  
rem; poterat aliquis suspicari, nihil mali  
passuros ejusmodi pios homines; ideo  
subdit, illos passuros, sed non sine con-  
solatione. Si quando pius ille inciderit in  
lectum doloris, sive dolor sit corporalis,  
sive spiritualis, seu quæcunque tribulatio,  
Dominus ita consolabitur eum, ut patien-  
ter ferat; & ex ipsâ patientiâ probari se  
intelligat, & ex probatione spem mag-  
nam concipiat; & ex illâ spe gaudium tale  
inveniat, ut glorietur in tribulationibus.

H 3

Hoc

Hoc ipsum confirmat exemplo de prærito: Tu, Deus suavis, & mitis, ita soles facere cum fidelibus tuis; nam si quando vidisti, pium aliquem gravari tentationibus, vel afflictionibus, ita illum consolari consuevisti; quomodo consolatur ægrotum, qui totum stratum ejus versat, & reversat, ut mollius cubet, & quietat.

¶. 4. *Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Incipit Christus declarare, se esse egenum illum, & pauperem, de quo ¶. 1. Miserere mei, in tribulatione positi, ut celeriter resuscitando, ab omni passione me liberes: *sana animam meam*, quæ tristis est usque ad mortem ob peccata totius mundi, quæ in me recepi.

¶. 5. *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen ejus?*

Hæc manifestè pertinent ad Phariseos, & Sacerdotes Judæorum, qui avidissimè Christi mortem sitiebant. Illud mihi possum est pro, de me.

¶. 6. *Et si ingrediebatur, ut videret; vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi.*

Transit à Judæis ad Judam: & si aliquis eorum, ut Judas proditor, ingrediebatur,

ut

ut exploraret opportunitatem prodendi, falsi aliquid fingebat, ne animus ejus detergeretur; interim corde meditabatur dolos, & multiplicabat iniquitates sibi, h.e. ad suum interitum.

V. 7. Egrediebatur foras, & loquebatur in id ipsum.

Qui Judas cum explorasset opportunitatem prodendi Dominum, egrediebatur, & loquebatur simul cum iis, quibus Dominum proditurus erat.

V. 8. Adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi.

Auditio Judâ proditore, ceperunt inter se susurrare, ne forte sermo innotesceret, si altâ voce loquerentur, de pecuniâ dandâ, de ratione inveniendâ Christum capiendi; & deliberabant de morte mihi inferendâ.

V. 9. Verbum iniquum constituerunt adversum me: nunquid qui dormit, non adjicet, ut resurgat?

Ex illâ susurratione hoc secutum est, ut decretum iniquum constituerent, me, quamvis innocentem occidendi: at num mihi potestatem resurgendi auferent? Mortem somnum vocat, quia quâm facile est homini socium dormientem à somno

excitare, tam facile Verbum carnem mortuam ad vitam revocat.

**V. 10.** Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super misplantationem.

Ideo decreverunt me occidere, quia homo, cum quo pacem habebam, seu nullas inimicitias; in quo velut amico, & familiari confidere poteram; qui in mensa mea, ut domesticus, mecum versabatur, mirificè me supplantavit, cùm per insidias inimicis me tradidit.

**V. 11.** Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.

Tu autem Domine miserere mei, morientis in cruce, & paulò post resuscita me, & tunc retribuam eis, quod merentur. Loquitur hic Christus in formâ servi; alioqui ut Verbum ipse carnem suam resuscitare poterat.

**V. 12.** In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Exauditam orationem suam fuisse dicit, idque indè posse cognosci, quod non gauderet inimicus de morte ejus. Sic Judas antè se ipse suspendio necavit, quam Christus moreretur, & ipse pretio proditionis suæ frui posset. Imò & reliqui inimici tam brevi

brevi tempore gavisi sunt, ut dici possint  
non esse gavisi.

¶. 13. *Me autem propter innocentiam suscepisti,  
& confirmasti me in conspectu tuo in æternum.*

Inimici non diu gaudebunt de morte  
meâ ; me autem propter innocentiam , Tibi  
optimè notam , suscepisti de manibus eo-  
rum , & confirmâsti &c. h.e. humiliâsti me  
ad horam in conspectu hominum ; sed sta-  
re fecisti ante conspectum tuum in cælo  
usque in æternum.

¶. 14. *Benedictus Dominus Deus Israel à sa-  
culo ; & usque in sæculum , fiat , fiat.*

Ista conclusio , sive Christi sit , sive Pro-  
phetæ , significat , propter exaltationem  
Christi , & confusionem inimicorum ejus ,  
deberi Deo honorem , & gloriam finè fine.  
Illud fiat , fiat , hebraicè *Amen , Amen* , est  
dictorum confirmatio , ut sensus sit : Verè ,  
seu fideliter ita sit , vel fiat , ut semper  
Deo laus , & gloria deferatur. Atque hic  
est finis primi libri secundùm Hebræos ,  
qui Psalterium in quinque libros distri-  
buerunt.

### PSALMUS XLI.

**T**itulus : *In finem , intellectus filiis Core.*

Titulus admonet filios Core , quibus  
H 5 daba-

dabatur Psalmus cantandus, ut intelligent,  
quæ canunt, ut & auditores intelligere  
faciant: quæ admonitio cantoribus Eccle-  
siasticis memoriæ commendanda est; can-  
tus enim in Ecclesiâ spiritui deservire de-  
servire debet, & non soli aurium oblecta-  
tioni.

*Argumentum Psalmi videtur esse, ut S. S. PP.  
Hieron. Aug. Chrysost. docent, quod David amore  
divino succensus, exprimere conatur vehemens de-  
siderium pervenienti ad visionem Dei, quæ est ve-  
ra, & sempiterna felicitas; cùm tamen inter ten-  
tationes, & pericula peregrinationis viveret. Sed  
dum ipse desiderium suum exprimit, simul docet,  
quæ sint argumenta, unde verus Deus amor possit  
agnosci.*

*V. I. Quemadmodum desiderat cervus ad fon-  
tes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Aptissima est Davidis amantis cum cer-  
vo similitudo. Hic perpetuum bellum  
gerit cum serpentibus; deinde cùm à ve-  
natoribus quæritur, ad montes altissimos  
velocissimè configit; traduntur etiam  
cervi, ut scribit S. Aug. hoc loco, vel quan-  
do in agmine suo ambulant, aut natando  
alias terrarum partes petunt, onera capi-  
tum suorum super se invicem ponere, &  
sic ab instinctu quodam naturæ observare  
illud

illud ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate;* demum si quando vel expugnâ cum serpentibus, vel ex fugâ ad montes, vel ex deportatione oneris fatigatur, ardenter sitire solet aquas, neque ab eis inquirendis ullâ vel tenetur amoenitate pratorum, vel terretur difficultate viarum. *Talis omnino est amator Dei,* cum serpentibus carnalium cupiditatum bellum perpetuò gerit; cùm temptationibus, vel persecutionibus premitur, ad montem contemplationis fugit; infirmorum molestias patienter tolerat; præcipue summo desiderio Deum sicut, neque ullâ terrenâ felicitate, vel adversitate impeditur, quò minùs ad Deum semper anhelet.

v. 2. *Sitivit anima mea ad Deum fortē vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?*

Tria notat S. Chrysost., quæ amorem accendunt, pulcritudo, beneficia, & amor. Hæc tria in Deum convenire David hoc loco docet, & ideo amore, & desiderio ejus ardere se dicit. *Sitivit anima mea ad Deum,* h. e. ad rem pulcerrimam, nobilissimam, præstantissimam, quæ bona oīnnia in se unâ complestur. *Fortem,* h. e. ad rem non fluxam, & caducam, sed stabili-

stabilem ; permanentem , æternam . *Vivum* , h. e. ad rem operantem , intelligen-  
tem , amantem , quæ nos continuis be-  
neficiis afficit , quæ nos magni facit , & in-  
credibili amore diligit . Hæc ergo sitis  
in rem tam bonam , tam beneficam , tam  
mei amantem , cogit ex toto corde dice-  
re : quando finis erit peregrinationis ?  
quando initium fruitionis ?

*¶. 3. Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die , ac  
nocte , dum dicitur mihi quotidie , ubi est Deus  
tuus ?*

Qui tria ista , antè dicta , in Deo serio  
contemplatur , fieri non potest , quin la-  
crimis desiderii opprimatur . Lacrimis ,  
quasi panibus , sustentabar assidue ; dum  
dicitur mihi quotidie ab impiis , & incredulis :  
*ubi est Deus tuus , ad quem sitis ? cui suspi-  
ras ? cur diligis , quem non vides ?*

*¶. 4. Hæc recordatus sum , & effudi in me ani-  
mam meam ; quoniam transibo in locum taberna-  
culi admirabilis , usque ad domum Dei .*

Pergit in explicando desiderio suo . Hæc ,  
quæ dicta sunt , recordatus sum , & dilatavi  
animam meam , extendi desiderium meum ,  
ut capax esset tanti boni , quantum inve-  
niet in tabernaculo illo admirabili , ubi est  
ubertas indeficiens domus Domini .

*¶. 5.*

V. 5. In voce exultationis, & confessionis,  
sonus epulantis.

Pertransibo admirans gloriam taberna-  
culi illius, & ex admiratione prorumpam  
in vocem exultationis, & confessionis,  
laudis videlicet. Conditoris illius tabernaculi;  
quæ vox erit læta, & festiva, quales au-  
diuntur in solemnibus, & festivis, ac nup-  
tialibus epulis.

V. 6. Quare tristis es anima mea, & quare  
conturbas me?

V. 7. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor  
illi salutare vultus mei, & Deus meus.

Ex illâ mentis elevatione, & gudio spi-  
rituali consolatur lacrimas suas. Quare  
lacrimæ tuæ sunt tibi panes die, ac nocte,  
dum dicitur tibi, ubi est Deus tuus? quare tam  
incessabili fletu conturbas me? Quamvis  
Deum non videas, quem tu ardenter vi-  
dere cupis, tamen spera in eo: quia ad-  
huc erit, dum præfens laudabo Deum, &  
dicam illi: tu es salus vultus mei, dum  
illuminas me, ut faciem tuam videam, &  
dicam: Tu es Deus meus.

V. 8. Ad me ipsum anima mea conturbata est,  
propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Her-  
monium à monte modico.

Exponit vicissitudines tristitiae, & con-  
sola-

solationis suæ. Quamvis dixerim animæ  
meæ, *spera in Deo*; tamen anima mea, re-  
spiciens ad infirmitatem meam, ad modi-  
cum lumen, & modicas vires, quæ in me  
sunt, timore magno me conturbat; ideo,  
ut huic timori medicinam faciam, remo-  
vebo oculos meos à me ipso, & ad te con-  
vertam; & ab hoc Jordane, quem video  
in hâc terrâ, memor ero tuî, h.e. flumi-  
nis, quod lætificat civitatem tuam, & tor-  
rentis voluptatis tuæ, quo potantur, qui  
apud te sunt; & ab hoc monte modico, qui  
dicitur Hermoniim, quem ante oculos  
habeo, *memor ero montis sancti thi*, in quo ha-  
bitas cum sanctis Angelis tuis; & ex hâc  
memoriâ consolabor animam meam, &  
desiderium meum.

V. 9. *Abyssus abyssum invocat, in voce catara-*  
*ctarum tuarum.*

V. 10. *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super*  
*me transierunt.*

Metaphoricè, alludendo ad diluvium  
tempore Noemi, narrat ingentes tentatio-  
nes, & pericula, quibus Deus exerceri  
sinit electos suos. Maxima aquarum in-  
undatio, & profunditas super me venit, &  
illâ transeunte, alia supervenit, quasi à  
priori vocata. Venerunt autem istæ mag-

næ

næ inundationes in sonitu cataraætarum cælestium, unde aquarum inundatio descendebat. Omnes gurgites altissimi, & omnis illa inundatio, & universum diluvium super me venit.

¶. 11. *In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus.*

Redit ad vicissitudinem consolationis. Posteaquam transierunt inundationes aquarum, & horrendæ illæ abyssi, misit Dominus misericordiam consolantem, & visitantem. Sed nocturno tempore, h. e. tentationis, & tribulationis, non cessabit oratio, & gratiarum actio illi oblata.

¶. 12. *Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo, susceptor meus es tu.*

Hoc est videlicet canticum illud nocturnum. In sinu cordis mei est jugis oratio ad Deum, authorem vitæ meæ; cui cum fide, & fiduciâ dicam: in te confido, ad te configio, tu me labentem suscipes, tu lapsum eriges.

¶. 13. *Quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo, dum affigit me inimicus?*

Miratur vicissitudines divinæ providentiae in servis suis gubernandis. Unde accidit, ut tentationes, & tribulationes ita me obruant, ut me dereliqueris,  
cùm

cùm tu sis spes, & fortitudo mea? Unde, inquam, accidit, ut contristatus incedam, dum affligit me inimicus, cùm tu sis protector, & adjutor meus?

¶. 14. *Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.*

¶. 15. *Dum dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, & quantum turbas me?*

¶. 16. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.*

Non solum affligit me inimicus, te vi-dente, & spestante, qui susceptor meus es; sed etiam, dum ad summam debilitatem, & infirmitatem devenio, ut tenta-tiones vix jam ferre possim, illi ipsi, qui me persequuntur, & tribulant, expro-braverunt mihi fiduciam, quam in te ha-beo: dicunt enim, *ubi est Deus tuus, quem tu adjutorem, & protectorem tuum esse jactabas?* Sed tamen, quamvis ad horam turbatus, & contristatus, se ipse repre-hendebat, & dicebat, *Quare tristis &c.* Vi-de ¶. 6. & 7.

## PSALMUS XLII.

**T**itulus, & argumentum: *Psalmus David.*

Psal-

Psalmus hic est quasi appendix, vel potius epitome Psalmi superioris. Precatur David à Deo liberationem ab inimicis, & simul consolatur se spe futuræ beatitudinis.

V. 1. *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.*

Videtur David oppressus fuisse vel à Rege Saule, vel tentatus graviter à dæmonibus. Tu, Deus, esto judex meus, non enim habeo, ad quem pro justitiâ confugiam, nisi ad Te. Tu agnosce causam, & eam judica, quæ mihi intenditur ab hominibus iniquis; & per hoc judicium libera me à quovis homine iniquo, & doloso.

V. 2. *Quia tu es Deus fortitudo mea; quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affigit me inimicus?*

Est familiaris, & ex fiduciâ in Deum procedens expostulatio. Cùm Tu sis fortitudo mea, in quâ unicè confidam, unde fit, ut me repulisse videaris, & ego tanquam à gratiâ repulsus tristis incedam, dum affigit &c.

V. 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*

David, vir verè spiritualis, sollicitus  
I est

est de liberatione non tam à malis temporalibus, quam à periculis peccatorum, & amissionis æternæ vitæ. Concede mihi lucem gratiæ, & misericordiæ tuæ, & veritatem, ac fidelitatem tuam: ipsa enim deducunt in hâc pericolosâ peregrinatione; & adducunt in montem sanctum tuum, ubi cœlestis est Jerusalem, & in tabernacula tua, in ipsam domum tuam, ubi sunt multæ mansiones pro electis tuis. David hic, more prophetico, futura per tempus præteritum explicat ad certitudinem rerum indicandam.

X. 4. *Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui sacrificat juventutem meam.*

Explicat, quid facturus sit in monte sancto. *Introibo ad altare Dei, sacrificaturus sacrificium laudis:* omnes enim continuo ibi Sacerdotes fiunt, juxta illud Apoc. 5.: *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes.* Imò etiam coram ipso Deo apparebo, quasi in intimum ejus cubiculum introductus; ad Deum, inquam, qui lætificat novam juventutem meam: nam in patriâ renovabitur sicut aquila juventus nostra. Ps. 102. & ad Ephes. 4. *Occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi.*

X. 5. *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus*

meus : quare tristis es anima mea , & quare con-  
turbas me ?

¶ . 6. Spera in Deo , quoniam adhuc consitebor  
illi , salutare vultus mei , & Deus meus .

Explicat clariūs rationem sacrificii . Lau-  
dabo Te , confitendo misericordias tuas ,  
justitias tuas , omnia denique mirabilia tua ;  
& laudabo non solūm ore , sed etiam ope-  
re : tunc enim optimè concordabunt can-  
tus , & cithara , h. e. voces , & opera ;  
quæ duo in hâc vitâ raro concordant . Ce-  
tera vide Ps. 41. ¶ . 6. & 7.

### PSALMUS XLIII.

**T**itulus : In finem filiis Core ad intellectum .

Vide tit. Ps. 41.

Argumentum : Gracci , ut Chrysost. Theodore .  
Euthym. docent . Psalmum hunc cantari in personâ  
Machabaeorum , qui gravissimas calamitates ab  
Antiocho , aliisque Regibus Syriae , vel Ægypti  
passi sunt ; Latini , ut Ambr. Hieron. Aug. vo-  
lunt , hic exprimi voces SS. Martyrum Christi :  
Sed conciliari possunt hæ Patrum sententiæ , si dica-  
mus , Psalmum pertinere & ad Machabæos , & ad  
Christianos : similes enim persecutioes utrique passi  
sunt , & propter eandem causam , confessionem , &  
legem ejusdem Dei . Sicut enim hic Psalmus non  
solūm pertinet ad Martyres sub Nerone , sed etiam

*sub Diocletiano, qui plus 200. annis fuit Neronem  
posterior: sic etiam pertinere potest ad Martyres sub  
Antiocho Epiphane, qui 200. circiter annis Ne-  
ronem præcessit.*

*V. 1. Deus auribus nostris audivimus, Patres  
nostrorum annuntiaverunt nobis.*

*V. 2. Opus quod operatus es in diebus eorum, &  
in diebus antiquis.*

David in personâ populi Dei, in perse-  
cutione positi, incipit narrare magnalia  
quæ Deus pro fidelium suorum defensio-  
ne aliquando fecit, ut hâc commemo-  
ratione eum & jam ad misericordiam flectat.  
*Deus auribus nostris, h. e. certò, nos ipsi au-  
divimus: non accepimus incerto rumore  
ab ignotis hominibus; sed ipsi Patres no-  
stri, viri fide dignissimi, annuntiaverunt no-  
bis mirabile opus, quod fecisti in diebus eo-  
rum, h. e. ipsis videntibus; & in diebus anti-  
quis, h. e. quod Patres nostri ex suis Patri-  
bus audierunt.*

*V. 3. Manus tua gentes disperdidit, & plan-  
tasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos.*

Explicat in particulari unum ex illis operi-  
bus mirabilibus. Potentia tua ex terrâ pro-  
missionis gentes Chananæorum, & Jebu-  
sæorum, quæ in illâ habitabant, disperdidit  
& gentibus illis ejectis, plantasti Patres no-  
stros

stros in illâ ipsâ terrâ. Afflixisti gravissi-  
mis præliis populos illarum gentium, &  
tandem devictos expulisti, ut locum da-  
rent populo tuo.

¶. 4. Nec enim in gladio suo possederunt terram,  
& brachium eorum non salvavit eos;

¶. 5. Sed dextera tua, & brachium tuum, &  
illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

Probat illud: manus tua disperdidit eos &c.  
Non enim Patres nostri virtute armorum  
suorum possederunt terram promissionis;  
nec robur eorum tantum erat, ut in præ-  
lio captivitatem, vel mortem evadere pos-  
sent; sed dextera tua, & brachium tuum, tua pro-  
tectione, & illuminatio vultus tui, h. e. gratia,  
& favor tuus dedit eis terram possiden-  
dam, & salvavit eos à morte, vel capti-  
vitate, non propter eorum merita, sed  
quia Tibi placuit eligere eos in populum  
tuum.

¶. 6. Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui  
mandas salutes Jacob.

Exponit nunc admirationem suam po-  
pulus Dei. Tu ipse, qui Patres nostros  
adjuvabas, & protegebas, quia Rex, &  
Deus eorum eras, tu es ille idem Rex, &  
Deus meus, qui consuevisti salvare po-  
pulum tuum, à patre suo dictum Jacob.

V. 7. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu,  
& in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

Ostendit nunc, se quoque populum esse eundem, & eandem spem in Deo habere, quam Patres habuerunt. Si adiutor, & protector noster fueris, tuâ operâ freti, eâ facultate hostes nostros abigemus, & fundemus, quâ solet ferocissimus taurus cornibus in aërem projicere pulvres &c.; & invocato nomine tuo, non timebitus impetum hostium, insurgentium in nos.

V. 8. *Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me.*

Pergit demonstrare similitudinem inter populum Dei præsentem, & antiquum. Sicut antiquus populus non in gladio suo possidebat terram; ita nec ego confidam in viribus, & armis meis: scio, & confiteor, quod si salutem consequar, eam mihi non dabit gladius meus, sed auxilium tuum.

V. 9. *Salvasti enim nos de afflagentibus nos, & eos, qui nos oderunt, confudiisti.*

Declarat, quod dixit: *gladius meus &c.: quoties enim salvus factus sum à quacunque tribulatione, Tu salvasti nos ab afflagentibus nos, & inimicos nostros, qui nos oderant,*

rant, & perdere cupiebant, confudisti,  
conatus eorum frustrando, ut confusi ab  
oppugnatione nostrâ recederent.

v. 10. In Deo laudabimur totâ die, & in no-  
mine tuo confitebimur in sâculum.

Concludit, & dicit, populum Dei li-  
berationem à quavis tribulatione Deo ac-  
ceptam relaturum. Non in nobis, sed in  
Deo gloriabimur, quoties de hostium ma-  
nibus liberamur: & nomine Domini invo-  
cato, ipsi confitebimur laudem, & glo-  
riam usque in æternum.

v. 11. Nunc autem repulisti, & confudisti  
nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris.

Incipit admiratio, & conquestio popu-  
li graviter afflitti. Olim tanto favore nos  
prosequebaris, nunc autem repulisti, & con-  
fudisti nos; nam & sub Antiocho oppro-  
brium erat vocari Judæum, & sub Tyran-  
nis infame erat Christianorum nomen, &  
videbantur fideles derelicti à Deo. Et si  
velimus hostibus repugnare, tu non egredie-  
ris &c., non juvabis, ut olim, potentiam,  
& robur nostrum. Dictis jam temporibus  
tanta erat debilitas in populo Dei, ut non  
auderent ullo modo resistere; & ideo pa-  
tiendo solùm pugnabant. Sed quamvis  
ab hoste visibili fugarentur, & cæderen-

tur, tamen de hoste invisibili glorioſiſſimè triumphabant; & quamvis in conspectu hominum derelicti viderentur à Deo; tamen in occulto maximâ Dei gratiâ juabantur. Sed hoc loco de eo tantùm agitur, quod foris agebatur, & relinquitur filiis Core intelligendum, quod agebatur in occulto.

¶. 12. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos, diripiebant sibi.*

Pergit in explicandâ persecutione. Feceſti, ut, qui in primo loco eramus, jam in postremo eſſemus, & tanquam vieti, ac captivi ſequeremur inimicos nostros; & hi ipſi pro arbitrio ſuo & nos, & noſtra diripiebant in fuos uſus.

¶. 13. *Dedisti nos tanquem oves eſcarum, & in gentibus diſpersisti nos.*

Mirè deſcribit martyria Sanctorum. Permifisti nos tam facile trucidari, & in tantâ multitudine, ac ſi eſſemus oves deſtinatæ ad macellum; & eos ex nobis, quos occidere hostes noluerunt, permifisti diſpergi inter gentes. Hic notantur exilia in loca remotiſſima, ad quæ frequenter Sancti ablegantur.

¶. 14. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio, & non fuit multitudo in commutationibas corum.*

Aliud

Aliud supplicium describit, quo S.S. Martyres deputabantur ad secunda marmora, ad curandas bestias &c. Tradidisti populum tuum potestati inimicorum, & nihil pretii accepisti; & cum hostes, quibus eos tradideras, vellent eos vendere in mancipia, & pro pecuniâ commutare, ferè pro nihilo vendebantur, & ad opera abjectissima deputabantur.

¶. 15. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.

Ad suppliciâ corporalia adjungit irrisiones, & opprobria. Ex eo, quod permissione tuâ devenimus in calamitates, antè descriptas, factum est, ut jam simus opprobrium vicinis nostris, subsannemur, & irrideamur ab iisdem vicinis, qui sunt in circuitu nostro.

¶. 16. Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capit is in populis.

Per similitudinem intellige proverbium, sive parabolam, vide Pl. 68. ¶. 14. Fecisti, ut gentiles de nostrâ calamitate parabolam, vel proverbium sibi facerent, & cum vellent inter loquendum exemplum proponere rei valde detestandæ, nostram miseriā in medium adferrent. Fecisti

etiam, ut populi gentium non solum irrisione verborum, sed etiam capitis agitatione nos detestarentur, vel irriderent.

¶. 17. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.*

¶. 18. *A voce exprobrantis, & obloquentis, & facie inimici, & persequentis.*

Explicat effectum irrisiorum. Durante hâc persecutione, semper video confusionem meam, quæ confusio faciei meæ totum me quasi velo quodam operuit. Oritur autem hæc tota confusio ab iis, qui mihi exprobrant stultitiam, quodd crucifixum colam; impietatem, quodd Deos non venerer; falsa crimina &c. & de his inter se obloquuntur. NB. Dominus Luc. 9. non prohibet quamcunque verecundiam, & confusionem, sed eam, quæ impedit confessionem Christi.

¶. 19. *Hæc omnia venerunt super nos, nec oblitum sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo.*

Subjungit jam in personâ populi Dei, causam hujus desertionis non posse tribui peccatis suis; unde colligitur ratio admirationis, & querimoniae. Has angustias, & tribulationes passi sumus; & tamen non dimisimus Te, ut coleremus Deos alienos: neque iniquitatem fecimus contra pactum,

pactum, quod pepigimus tecum in Sina,  
ut servaremus legem tuam.

¶. 20. Et non recessit retro cor nostrum, & de-  
clinasti semitas nostras à via tua.

Idem dicitur, ut magis declaretur in-  
nocentia. Cùm tecum ambularemus, ex  
corde adhærentes Tibi, non recessimus  
retro, Te deserendo; & non permisisti,  
ut gressus nostri declinarent à lege tuâ.

¶. 21. Quoniam humiliasti nos in loco afflictio-  
nis, & cooperuit nos umbra mortis.

Et quoniam dejecisti nos in profundum  
miseriarum, ideo cooperuerunt nos tene-  
bræ, & ingens obscuritas, seu tribulatio,  
& magna persecutio: loca enim afflictio-  
nis tenebricosa sunt, ut putei, tetri car-  
ceres &c.

¶. 22. Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si  
expandimus manus nostras ad Deum alienum.

¶. 23. Nónne Deus requiret ista? ipse enim  
novit abscondita cordis.

Testimonio Dei probant, se non esse  
oblitos Domini, neque alienum Deum  
invocâsse; Nónne Deus &c. certè requiret,  
& inveniet, an ita sit: ipse enim novit &c.;  
sed profectò inveniet, nos oblitos non esse  
nomen ipsius.

¶. 24. Quoniam propter te mortificamur totâ  
die, estimati sumus sicut oves occisionis. ¶. 25.

¶. 25. *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.*

Concludit populus Dei, petens à Deo finem persecutionis. Quoniam propter confessionem nominis tui multi quotidie occiduntur ex nobis, similes facti sumus ovibus, quæ sine resistentiâ jugulantur. Et cùm causa tua hìc agatur, & servi tui tanta patientur, cur Tu siles, quasi dormiens non adverteres? Fac, quod illi faciunt, qui surgunt à somno, & incipiunt videre, quod antea non viderant; ne repellas nos ab ope tuâ usque ad consummationem; finiatur tandem, Te opem ferente, persecutio.

¶. 26. *Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopie nostræ, & tribulationis nostræ?*

Pergit in eâdem oratione, & utitur aliis metaphoris. Antea similitudinem sumpsit à somno, nunc ab aversione faciei, quasi non videret miseriam nostram; & ab oblivious, quando non succurrit egentibus auxilio, & tribulatis, quasi esset oblitus eorum; licet neutrum cadat in Deum.

¶. 27. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.*

In eâdem oratione persistens, & sciens, orationem humilantis se gratissimam Deo, dicit

dicit se humiliatum usque ad summum,  
scil. quod oret non stans, non flectens ge-  
nua, sed humi prostratus, non tantum  
corde, fatendo se pulverem esse, sed &  
corpore, *conglutinatus*, adhaesit in terrâ  
venter noster.

*v. 28. Exurge Domine, adjuva nos, & re-  
dime nos propter nomen tuum.*

Addunt efficacissimam rationem, cur  
Deus moveri debeat ad misericordiam, ne  
blasphemetur amplius nomen ejus. *Exurge,*  
*adjuva nos* in hâc tribulatione, libera nos,  
ut non blasphemetur, sed glorificetur no-  
men tuum; & sicut sine pretio nos vendi-  
disti, ita sine pretio redime, non ob no-  
stra merita, sed propter nomen tuum,  
propter misericordiam, & benignitatem  
tuam. Ad majorem Psalmi intelligentiam  
subjungit Em. Bell. 4. Quæstiunc.

*Q. 1. Cur ii, qui in hoc Psalmo loquun-  
tur, querantur se sine suâ culpâ puniri,  
cum alii Sancti persecutio-  
nes peccatis suis  
imputare soleant?* *R. Certum est, quod  
ob peccata populi Deus persecutio-  
nes ex-  
citari permittat. Ceterum sancti viri va-  
riis modis loquuntur: aliquando enim  
fuscipliunt personam membrorum infir-  
morum (unum enim corpus sumus, alter  
alte-*

alterius membra) & peccata fratum suorum sibi tribuunt. Aliquando induunt personam perfectorum, & Sanctorum, qui revera puniuntur in communī persecutōne sinē propriā culpā.

**Q. 2.** Cur Deus innocentēs puniri sinat, cūm propter iniquos persecutōnēs excitari permittit? **R.** Innocētes in persecutōne non propriē puniri, sed probari: illa enim, quāsi ignis conflatorius, facit, ut appareant, qui sint veri, qui ficti fideles; qui sint aurum, qui aurichalcum.

**Q. 3.** Cur ergo Sancti querantur de persecutōne, & eam citō finiri precentur? **R.** Quia tribulationem tolerare jubemur, non amare, & nemo, quod tolerat, amat, et si tolerare amerit: quamvis enim gaudeat se tolerare; tamen mavult non esse, quod toleret. *Vide S. Aug. l. 10. Confess. c. 28.* Deinde persecutō, & tantatio periculosa est; incerta autem victoria, nec sancti de se præsumunt.

**Q. 4.** Cur Deus, ut in hoc Psalmo dicitur, aliquando populo suo tribuat temporalia bona, & victoriam de inimicis; aliquando iterum faciat contrarium? **R.** Ut omnes intelligant, bona temporalia à Deo dari, non à dæmonibus, vel à fato, aut for-

fortunâ, ideo tribuit illa amicis suis, quando ita expedire judicat; ne verò iis inhæreant, & ament stabulum pro domo, exilium pro patriâ, sæpe illis eripit ejusmodi bona. *Vide Ps. 40. v. 3.*

### PSALMUS XLIV.

**T**itulus, & argumentum: *In finem, pro iis, qui commutabuntur, filiis Core ad intellectum, Canticum pro Dilecto.*

Interpretes omnes docent, Psalmum hunc continere laudes Messiae, & sponsæ ejus Ecclesie, ut sit quasi spirituale Epithalamium. Per Dilectum omnes intelligunt Christum. Per eos, qui commutabuntur, intellige fideles populos, qui Ecclesiam faciunt: dicuntur commutandi tum per justificationem in hoc seculo, tum per resurrectionem in alio. Unde sensus tituli est: Canticum datum filiis Core, ad intelligenter, & sapienter canendum usque in finem, cuius materia est pro iis, qui commutabuntur, & pro Dilecto, h. e. pro Ecclesia, & Christo.

v. 1. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.

v. 2. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

Hac præfatione David ostendit, se Psalmum hunc non conscripsisse adhibito studio,

dio, ut in aliis, qui licet à Deo inspirentur, ac dirigantur, ne erretur; memoria tamen, & ingenium exercentur, v. g. recordando res gestas, cogitando rationem, & ordinem scribendi &c. In hoc Psalmo nihil suum agnoscit, nisi simplex manus, vel linguæ ministerium. Unde etiam innuit, se quodammodo rapi ad canendum; ut ruetus non voluntariè, sed ex plenitudine stomachi erumpunt. Mens mea ex plenitudine, & copiâ illustrationis divinæ, & cœlestium revelationum protulit foras Psalmum hunc, qui continet sermonem gratum, & salutarem omnibus. Ego enim simpliciter confiteor Regi meo, qui est Deus, omnia opera mea, & non mihi tribuo Psalmum hunc, qui non ex electione mea prodiit, sed ex plenitudine illustrationis tuæ. Nam lingua equidem mea Psalmum hunc protulit, non ut lingua mea, non ut membrum corporis mei, quod ad imperium voluntatis meæ moverur; sed ut calamus Spiritus S. velociter scribentis. Non dicit, linguam suam esse linguam Spiritus S. velociter loquentis, sed *calamus scribæ &c.*; quia vult ostendere linguam suam in prophetiâ edendâ esse instrumentum separatum, ut revera

revera est calamis; & non instrumentum  
conunctum, ut sunt membra corporis,  
vel significare voluit, prophetiam hanc  
non abituram in ventum, ut quæ ore pro-  
nuntiantur; sed perpetuò mansuram, ut  
quæ calamo exarantur. Illud *velociter scri-  
bentis* significat, Spiritum S. non egere  
tempore ad considerandum, quid, & quo-  
modo scribendum sit.

X. 3. *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffu-  
sa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te  
Deus in æternum.*

Incipit Christum laudare, ac primùm  
à pulcritudine. Non mirum est, si Tu,  
Christe, Dilectus dicaris, nam *speciosus  
formâ es præ filiis hominum*: non dicit, *præ  
spiritibus Angelicis*, quia non Angelus, sed  
homo factus est. Et verè Christus supra  
homines formosus est: nam ut Deus est  
infinitè pulcher; spirituali animæ pulcri-  
tudine antecedit omnes spiritus creatos, &  
splendore corporis Solem, & Lunam &c.

*Diffusa est gratia &c.* jam Christum laudat  
à gratiâ sermonis, cuius vim senserunt  
Apostoli in suâ vocatione, venti, mare,  
febres, mortui. Dicit, *Diffusa est &c.*, ut  
ostendatur permanens, & naturalis fuisse  
Christo gratia sermonis, non acquisita per  
studium.

K

Sequi-

Sequitur: propterea benedixit &c. Rectius  
videtur hic esse sensus: Ideo speciosus &c.,  
ideo diffusa &c., quia Deus te benedixit.  
Hæc benedictio est gratia unionis hyposta-  
ticæ, æternum duraturæ, quæ fons est  
donorum omnium in Humanitate Christi.

V. 4. Accingere gladio tuo super femur tuum  
potentissime.

Laus tertia à fortitudine militari; & per  
modum precantis, seu invitantis ait: eja  
dilecte Deo, qui non solum speciosissimus,  
& gratosissimus, sed etiam potentissimus,  
& robustissimus es, accingere armis tuis,  
& veni, libera populum tuum.

V. 5. Specie tua, & pulcritudine tua, intende,  
prospere procede, & regna.

Decore tuo, qui in specie sapientiae, &  
pulcritudine justitiae consistit, quasi gla-  
dio, & arcu accinctus, & instructus, di-  
rigere cursum tuum ad prælrium contra dia-  
bolum, prosperare in prælio, & devicto  
Principe hujus mundi, acquire tibi Reg-  
num, ut tu deinceps in cordibus homi-  
num per fidem, & charitatem regnes.

V. 6. Propter veritatem, & mansuetudinem,  
& justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.

Laus quarta à virtutibus regiis. Regna  
propter veritatem, quam in verbis, & pro-  
missis

missis tuis semper observas: & mansuetudinem, quam justitiae semper admisces: his virtutibus mirabiles progressus regni tui videbis, nec egebis auxilio aliorum, sed ipsa dextera, virtus, & potentia tua per se sufficiet, ut mirabiliter te deducat, & progredi faciat in Regno amplificando, donec ponas omnes inimicos tuos sub scabellum pedum tuorum.

¶. 7. *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cad. nt) in corda inimicorum Regis.*

Explicat modum, quo amplificabit Regnum: hoc fiet, quia sagittæ tuæ, quæ sunt verba Dei, seu prædicatio verbi Dei, acutissimæ sunt, & ideo penetrabunt inimicorum tuorum corda, & populi, ipsi inimici sub te cadent, ut mortui peccato, justitiae vivant, tibique serviant.

¶. 8. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga Regni tui.*

Ultima laus à dignitate Messiæ. Sedes tua, ô Christe Deus, non temporalis erit, ut fuit Davidis, Salomonis; sed manebit in æternum; & sceptrum tuum erit semper rectissimum, & justissimum. Virga directionis hebraisinus est, pro virga rectissima, sicut Deus scientiarum pro Deo scientissimo.

¶. 9. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo l&at;titiae consortibus tuis.*

Quia dilexisti justitiam &c. obediendo usque ad mortem crucis, ideo te Deus Christe, Deus Pater unxit &c. in caelo glorificavit, cuiusmodi gloria nulli electorum obtinet sive Angelo sive homini.

¶. 10. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delaverunt te filii Regum in honore tuo.*

Versiculus obscurissimus est: explicemus igitur primùm vocabula, deinde sensum. Myrrha succus est notus, amarus, & odoratus. Per guttam intellige guttam Aloës, ut notat Hieron. Casia frutex est, unde cortex odoratus desumitur, & inter aromata numeratur. Per domos eburneas intellige palatia, sive templa sumptuosa, quorum parietes tecti sint ebore.

Ut interim sermo, qui totus hic figuratus est, ad sensum proprium reducatur, per aromata illa intellige virtutes Christi, patientiam, humilitatem, & charitatem: per vestimenta, & domos eburneas intellige Humanitatem Christi, quæ in sua passione præcipue spiravit odores maximos virtutum. Itaque sensus est: à vestimentis

mentistuis, à domibus eburneis, manant Myrra &c. h.e. Humanitas tua spiravit suavissimos odores virtutum; ex quibus animæ regiae, & excelsæ, sive multitudines populorum ex variis Regnis; delectaverunt te, dum currunt in odorem unguentorum tuorum, seu Christi virtutes imitantur.

V. 11. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Prophetavit hactenus David de sposo, & jam de sponsâ prophetare aggreditur. *Astitit*, propheticè; assistet sponsa tua, Ecclesia, quæ Regina etiam est, cùm sit sponsa tua, qui es Rex: à dexteris tuis, h.e. proxima tibi, & in loco summi honoris infra regalem thronum: assistet autem in veste pretiosâ, qualis decet Reginam, & in omnibus aliis sponsæ ornamentis, diaademate, monili, cingulo, calceis &c. Verum quid hæc spiritualiter significant? Omissis aliis, S.S. Hieron. & Chrysost. intelligunt per vestem auream gratiam justificationis; per varietatem varias virtutes, fidem, spem, dilectionem, humilitatem &c.; possent addi varia dona, quæ pro varietate membrorum Ecclesia possidet; alia enim sunt dona Apostolorum,

alia Martyrum, alia Virginum, alia Do-  
ctorum, alia Confessorum &c.

¶. 12. Audi filia, & vide, & inclina aurem  
tuam; & obliviscere populum tuum, & domum  
patris tui.

Alloquitur nunc ipsam Ecclesiam, eám-  
que fideliter, ac piè monet. Vocat filiam,  
vel quia loquitur in personâ Dei Patris, ut  
S. Hier. scribit; vel quia loquitur, ut unus  
ex Patribus Ecclesiæ, ut dicit S. Aug. Au-  
di vocem sponsi tui, & considera diligen-  
ter, quæ audis; & humiliter obedias præ-  
ceptis ejus; & ut faciliùs sponso servias,  
obliviscere mundum, & quæ in mundo  
sunt, sive radicitiùs abstrahere amorem ab  
iniquorum confortio, quorum pater dia-  
bolus est.

¶. 13. Et concupiscet Rex decorem tuum: quo-  
niam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt  
eum.

Ratio, cur debeat obliuisci populum &c.  
& servire Sponso; sic enim fiet, ut dili-  
gat, & apud se habere concupiscat pulcri-  
tudinem tuam interiorem, sitam præci-  
puè in obedientiâ, & caritate. Et ut in-  
telligamus hunc sponsum non esse sponsæ  
æqualem, Dominum absolutè, & Deum  
verum, addit & adorabunt eum; illi enim ab  
omnibus debetur adoratio.

¶. 14.

¶. 14. Et filiae Tyri in muneribus , vultum tuum deprecabuntur , omnes divites plebis.

Quia dixerat , sponsum adorandum , addit ipsam etiam sponsam , ut Reginam muneribus , & supplicationibus honorandam . Et filiae Tyri , h. e. gentiles , sive masculi , sive fœminæ , & potentiores præser-tim , quales divites esse solent , subjicien-tur imperio tuo , deprecabuntur te etiam muneribus . Sic gentiles conversi mune-ra obtulerunt in ædificationes , vel orna-menta Ecclesiarum , in alimoniam pau-perum &c. Meminit fœminarum potius , quam virorum , quia sponsam alloquitur ; & solent ad Reginam familiarius fœminæ accedere , ad Regem viri .

¶. 15. Omnis gloria ejus , filie Regis ab intus in fimbriis aureis , circumamicta varietatibus .

Occurrit carnalibus cogitationibus , ne quis fortè putet , hanc sponsæ pulcritudi-nem corpoream esse . Omnis gloria , sive de-coris faciei , sive pretiosarum vestium , hu-jus Reginæ , spiritualis est , & in corde requirenda . Per vestem variegatam in-tellige ornatum variarum virtutum ; per fimbrias aureas charitatem , quæ virtutum pretiosissima est .

v. 16. Adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi.

Post principalem sponsam, Ecclesiam, adducentur etiam ad nuptialem thalamum sponsi cœlestis omnes illæ animæ, quæ virginitatem suam Deo dicarunt, & quidem solæ illæ Virgines, quæ principali Sponsæ unitæ fuerint, nam virginitas extra Ecclesiam, Hæreticorum &c. non habet Sponsæ prærogativam.

v. 17. Afferentur in letitia, & exultatione, adducentur in templum Regis.

Explicat gaudium tam multiplicium nuptiarum. Afferentur Virgines ad nuptias cum magno plausu, & jubilo totius cœlestis Jerusalem; & cum hoc jubilo adducentur in cœleste tabernaculum, quod & palatum propter magnificentiam, & templum propter sanctitatem dici potest.

v. 18. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram.

Post dignitatem, & ornamenta Sponsi, & Sponsæ, exponit fructum nuptiarum. Rectius videtur alloqui Sponsam, quam Sponsum, eamque consolari, quod antea v. 12. iussicerat obliuisci majorum suorum. Pro Patriarchis, & Prophetis, & pro Patribus, quos reliquisti in gentilitate, &

quo-

quorum oblivisci jussa es, nascentur tibi filii, Apostoli, & Discipuli Christi, qui tantæ excellentiæ erunt, ut toti orbi leges dare possint, quod Monarcharum nulli obtigit. Per filios intellige etiam subsequentium ætatum Pontifices, Episcopos &c.

*V. 19. Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione, & generationem.*

Concludit, & nuptias, & nuptiarum fructum non alium finem habiturum, nisi perpetuam Dei laudem. Hi filii & ipsi quoque patres filiorum evadent, & semper cantabunt potentiam, & gratiam tuam. Notat S. Chrys. Davidem prædixisse, Psalmodiam suam nunquam intermittendam esse.

*V. 20. Propreterea populi confitebuntur tibi in eternum, & in seculum seculi.*

Quia Apostoli, & eorum Successores Episcopi semper laudes Dei cantabunt, etiam populi fideles, ab iis instituti, confitebuntur Domino laudes, & in hâc, & futurâ vitâ, ubi licet cessabunt preces, & lacrimæ, laus Dei tamen non cessabit.

### PSALMUS XLV.

**T**itulus, & argumentum: *In finem filiis Cœre pro Arcanis.*

K 5

Illud,

Illud, pro arcans, satis aperte demonstrat,  
Prophetam non loqui, ut quidam volunt, de re  
præceritâ, ut victoriâ Davidis ab inimicis Dei ope  
reportatâ; sed de re futurâ, & Davidis tempore  
occultâ, quæ non nisi Deo revelante sciri posset.  
Psalmo priori prædicta est Ecclesiae exaltatio ob nup-  
tias spirituales cum Rege Christo Domino; in hoc  
autem predicitur persecutio, & liberatio, præser-  
tim, ut putat S. Basil., in fine mundi.

¶. 1. Deus noster refugium, & virtus, adju-  
tor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Milites Christi non minùs vincunt fu-  
giendo tentationes, quam tolerando: si  
fugiendum est, Deus est refugium tutissi-  
mum; si tolerandum, fortitudo est: utro-  
que autem tempore adjutor est, & præben-  
do refugium, & præstando victoriam.  
Illud, quæ invenerunt &c. notat, tribulatio-  
nes gravissimas contra Ecclesiam ab initio  
exortas esse.

¶. 2. Propreca non timebimus, dum turbabi-  
tur terra, & transferentur montes in cor maris.

¶. 3. Sonuerunt, & turbatae sunt aquæ eorum,  
conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Hi 2. ¶. obscurissimi sunt; sed SS. Basil.  
& Chrysost. sequimur. Declaratur hic ma-  
xima fiducia populi Dei: licet maximè tur-  
betur terra; licet ipsi montes agitentur,  
&

& in profundum maris præcipitentur ; li-  
cet ex hac translatione montium resonent,  
& turbentur aquæ marium ; licet ipsi mon-  
tes, per potentiam Dei sic translati, con-  
turbentur, amissâ scil. stabilitate suâ , ta-  
men non timebimus , quia Deus refugium  
nostrum , & virtus nostra est. Hæc tur-  
batio elementorum erit in fine mundi.

V. 4. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei,  
sanctificavit tabernaculum suum altissimum.

V. 5. Deus in medio ejus non commovebitur, ad-  
juvabit eam Deus manè diluculo.

Ideo non timebit populus Dei, dum ter-  
ra turbabitur, quia pro amaritudinis ab-  
undantiâ , quæ turbabit impios , dabitur  
Ecclesiæ abundantia voluptatis , quæ eam  
lætificabit, & ideo quidem , quia eam  
Deus elegit, & propriam suam habitatio-  
nem esse voluit. Deus in medio ejus &c. hoc  
opponitur instabilitati terræ , & montium.  
Et quia Deus huic Ecclesiæ præsentissimus  
adest , nec ab eâ recedit , ideo non com-  
movebitur. Adjuvabit eam &c. hæc læti-  
tia , & stabilitas dabuntur civitati Dei , in-  
cipiente die felicitatis æternæ. Scriptura  
comparat infidelitatis tempus tenebris no-  
ctis ; tempus fidei auroræ ; visionem Dei  
claritati diei.

V. 6.

*V. 6. Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt  
Regna: dedit vocem suam, mota est terra.*

Quod antè figuratè de terrâ, & montibus, nunc dicit propriè de gentibus, & Regnis. Gentes turbabuntur, quia propinquat interitus earum, & Regna ab altitudine suâ humili dejectentur. Deus intonabit de cælo, & terrâ contremiscet, ac desolabitur.

*V. 7. Dominus virtutum nobiscum, susceptor  
noster Deus Jacob.*

In his omnibus ruinis gentium, & Regnorum nihil timebit populus Dei, tum quia Dominus potentissimus, cui Angeli, & omnes res creatæ militant, hujus populi adjutor est; tum quia vult juvare, utpote Deus populi, qui dicitur Jacob à Jacob illo, Deo amicissimo, ex cuius progenie carnem assumpit.

*V. 8. Venite, & videte opera Domini, que  
posuit prodigia super terram, auferens bella, usque ad finem terræ.*

Hortatur omnes gentes: accedite per fidem, & considerate opera, quæ ponet super terram tam stupenda, ut prodigia nominari possint. Et verè mirabile erit, posse ex totâ terrâ usque ad ultimos ejus fines auferri bella, & ita auferri, ut in æternum renovari non possint.

*V. 9.*

¶. 9. Arcum conteret, & confringet arma, &  
scuta comburet igni.

Auferentur bella, quia Dominus destruet omnia arma, tamen quibus usus est in fierendo, ut sunt arcus, & lanceæ, quam quibus utimur ad defensionem, ut sunt scuta; sine armis autem bella geri non possunt.

¶. 10. Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Ipse ¶. 8. gentes hortatus est, jam, ut magis persuadeat, inducit Deum hortantem. Vacate a concupiscentiâ rerum terrenarum; attentissimè cogitate: ego solus sum Deus, & nulla res creata, quamvis magna, & sublimis videatur, est Deus: ego solus, sine quo nihil potestis, nihil estis. Ego cum mirabilia fecero, quae supera dicta sunt, apparebo sublimis coram omnibus gentibus, & toto terrarum orbe, ut omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.

¶. 11. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.

Repetit ¶. 7. ut affectum piorum, exhortatione illâ Dei, rursum excitatum, & renovatum fuisse demonstret.

PSAL-

## PSALMUS XLVI.

**T**itulus : *In finem pro filiis Core , Psalmus , nihil continet novi.*

*Argumentum Psalmi , ut cum interpretantur Chrysost. Hier. Aug. Theodoret. Euthym. , est victoria , & ascensio Christi.*

**V. 1.** *Omnes gentes plaudite manibus , jubilate Deo in voce exultationis.*

Metaphoricè indicat , gaudendum , & animo lœtandum esse , ut ii faciunt , qui præ gaudio exiliunt , & manibus strepitum , & voce clamores excitant. Invitat autem *omnes gentes* , quia gloria capit is , qui *est Christus* , toti corpori , quod *est Ecclesia* toto terrarum orbe diffusa , communis est.

**V. 2.** *Quoniam Dominus excelsus , terribilis , Rex magnus super omnem terram.*

Primam gaudendi rationem dicit à magnitudine Christi : *excelsus est ob natum divinam , ratione cuius excellit omnibus creatis ; terribilis quoad omnipotentiam , cui nihil resistere potest : Rex magnus ratione providentiae , & gubernationis totius mundi.*

**V. 3.** *Subjecit populos nobis , & gentes sub pedibus nostris.*

Alte-

Altera ratio à beneficio , Ecclesiæ præstito , dum scil. Christus secundùm formam Dei ex Ægypto populum introduxit in terram promissionis , & gentes , ac populos , qui loca illa possidebant , populo suo subjecit.

¶. 4. Elegit nobis hereditatem suam , speciem Jacob , quam dilexit .

Tertia ratio ex alio beneficio : idem Deus Christus ex nobis elegit populum peculiarem : elegit pulcritudinem quandam eximiam populi Judaici , qui dicitur Jacob ; hanc amavit ; ex populo hoc , Iudeis fidelibus , h. e. Apostolis , Discipulis Ecclesiam sibi constituit . Pulcritudo illa spiritualis est fidei , & morum .

¶. 5. Ascendit Deus in jubilo , & Dominus in voce tubæ .

Quarta ratio : postquam Ecclesiam suam inchoavit in Apostolis , & Discipulis , propriâ virtute , quia Deus erat , ascendit in cælum . Illud in jubilo , in voce tubæ intellige de spirituali jubilo , & sono Angelorum .

¶. 6. Psallite Deo nostro , psallite : psallite Regi nostro , psallite .

¶. 7. Quoniam Rex omnis terra Deus , psallite sapienter .

Ante-

Antequam subjungat quintam rationem, ex admiratione ascensionis, provocat omnes ad laudandum Deum. Psallite Domino, quia Deus noster est; iterum psallite, quia Rex noster est; tertio psallite, quia non solum noster, sed etiam omnis terrae Rex est. Nec solum psallite frequenter, sed etiam sapienter, attente, considerate, cum omni diligentia.

¶. 8. Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.

Quinta ratio: Christus non contentus haereditate, quam sibi acquisivit ex populo Judaeorum, regnabit etiam super gentes, dum per Apostolorum praedicationem gentes omnes jugo fidei colla subiicient. Sed interim sedet ad dexteram Patris, quae est sedes Regni Dei justissima.

¶. 9. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham; quoniam Dii fortes terrae vehementer elevati sunt.

Ideo regnabit, quia Principes gentium, per Apostolorum praedicationem, cum Deo Abraham convenerunt, ut ipse esset eis in Deum, & ipsi populus ejus essent. Et ipsi Principes, qui sunt quasi Dii quidam, & potentes in terra, vehementer elevati sunt, ex servis scil. demoniis

32 (o) 25 161  
niorum per idololatriam, facti filii Dei vivi,  
& veri.

### PSALMUS XLVII.

**T**itulus : *Psalmus Cantici filiis Core secundæ Sabbati.*

Titulus aliunde constat, exceptis illis verbis, secunda Sabbati. Traditus erat *Psalmus filiis Core*, ut eum cantarent secunda Sabbati, seu secundâ die hebdomadæ.

Argumentum Psalmi est laudatio Dei ob ædificium civitatis. S. Jerusalem : Græci interpres intelligunt reædificationem Jerusalem post captivitatem Babylonicam, Latini Ecclesiam ; at forte utrumque sensum Spiritus S. intendit, licet magis posteriorem, cum Jerusalem Ecclesiæ Christi figuram gesserit.

V. 1. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.*

Laudatus ædificium incipit à laude architecti, qui verè magnus est, seu species essentiam, seu perfectiones divinas, potentiam, sapientiam &c.; quæ omnia tanta sunt, ut ne Angeli quidem satè laudare possint. Hæc magnitudo conspicitur in fundatione Ecclesiæ, quæ est civitas, in excelso perfectionis posita.

V. 2. *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.*

L

Ideo

Ideo Deus laudabilis valde in Ecclesiâ; quia hæc pergit variis temporibus, & locis fundari, dilatari per Apostolorum successores: hæc est murus oppositus Aquiloni spirituali, h. e. flatibus spirituum immundorum; hæc Regem habet Christum, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium.

*V. 3. Deus in domibus ejus cognoscetur, cùm suscipiet eam.*

Ratio altera, cur magnus sit Dominus, & laudabilissimus in Ecclesiâ: tunc potissimum cognoscetur habitare in domibus ejus, h. e. palatiis, basilicis, templis &c., dum tempore persecutionis eam proteget, & exalabit.

*V. 4. Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt: convenerunt in unum.*

*V. 5. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.*

*V. 6. Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Hostres *V. 5.* Latini exponunt de gentilibus conversis ad fidem; Græci de oppugnantibus fidem; neutra expositio cum alterâ pugnat.

Juxta Latinos: Deus cognoscetur esse in Ecclesiâ: quoniam ecce Reges terræ, & populi

puli eorum, ex variis Sectis, & superstitionibus convenierunt in unitatem fidei, & congregati sunt in unam Ecclesiam, quasi in populum unum. Conversio autem eorum sic fuit: quoniam ipsi videntes signa, & prodigia Apostolorum, admirati sunt, & cognoscentes magnitudinem, erroris, & peccatorum, dum idola pro Deo colerent, conturbati sunt, & commotis sunt per veram pœnitentiam: unde etiam considerantes periculum æternæ damnationis, in quo tamdiu fuerant, apprehendit tremor gravissimus, qualis est dolor parturientis, qui tamen, in gaudium magnum desinit. Joan. 16.: Sic & dolor pœnitentis desinit in lætitiam inenarrabilem ex infusâ cordi illius gratiâ, quæ est salutis æternæ semen, & pignus. Et tunc impletur, quod sequitur: *in spiritu &c.*: nam Spiritus S. cor justificatum vehementi ardore caritatis inflammans confringit naves Tharsis, per quas intellige superbiam, luxuriam, & avaritiam, naves enim tumentibus velis per fluctuantes undas in Tharsis properantes aurum, & argentum adducebant, ut dicitur 3. Reg. 10. & 2. Paralip. 9.; tumor velorum superbiam; fluctuatio maris luxuriam; advectio auri, & argenti avaritiam designat.

L 2

Juxta

Juxta Græcos : Deus in Ecclesiâ cognoscetur ex admirabili victoriâ Christianæ religionis contra persecutores : *ecce enim Reges terræ*, auditâ famâ Christianæ religionis , ex variis locis , & superstitionibus convenerunt , ut eam persequendo extinguerent. Sed *videntes* fortitudinem SS. Martyrum , & mirabilem constantiam , in sexu etiam fragili , & in ætate tenerâ ; nec non signa , & prodigia , quæ per eos Deus faciebat , & quòd numerus Christianorum persecutionibus , & mortibus augebatur , *admirati sunt* , *conturbati sunt* , *commoti sunt* , partim indignatione , partim dolore : & *tremor apprehendit eos* , sicut dolor parturientis , cùm viderent templa idolorum deseriri , & Christi Regnum , ipsis frustra repugnantibus , crescere. Hoc autem accidit , quia Dominus cum admirabili manifestatione suæ potentiæ contrivit idolatriam , quomodo solet tempestas venti brevissimo tempore dissipare , & conterere naves magnas , quales esse solebant eæ , quibus navigabatur in Tharsis , h. e. in Indiam .

XV. 7. *Sicut audivimus* , *sic vidimus* in civitate Domini virtutum , in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum .

Hinc patet , civitatem Dei non accipi  
pro

pro terrenâ Jerusalem, utpote cujusever-  
sio prædicta est *Luc.* 19.

Loquitur in personâ filiorum Ecclesiæ:  
sicut audivimus, à Prophetis, & Apostolis  
prædictum; ita vidimus impletum in Ec-  
clesiâ, quæ est civitas Domini exercituum,  
cui omnia militant, qui est Deus noster.  
Quod autem audivimus, & vidimus, est,  
quod Deus fundavit eam in æternum, ut nul-  
lum sit periculum, ne unquam evertatur.

¶. 8. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in  
medio templi tui.*

Pergit idem populus Dei: publicè fa-  
temur, & coram omnibus, h.e. in medio  
templi tui, hanc stabilitatem Ecclesiæ, aliá-  
que bona debere nos non nostris viribus,  
aut meritis, sed soli misericordiæ tuæ.

¶. 9. *Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus  
tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.*

Pergunt iidem laudare Deum ob accep-  
ta beneficia. Secundùm magnitudinem  
nominis tui, ut dictum ¶. 1., est etiam  
magnitudo laudis tuæ. Sicut enim nomen  
Dei ubique innotuit ob magnalia in Eccle-  
siâ fundandâ, & protegendâ: ita in toto  
orbe laudatur, quia justissimè pios defen-  
dit, & impios punivit.

L 3

¶. 10.

*V. 10. Lætetur mons Sion, & exultent filii  
Iuda, propter judicia tua Domine.*

Quia viderunt justitiam, quâ fideles  
protexisti, & perdidisti infideles, lætetur  
Ecclesia Dei, nec solùm viri, sed & fœni-  
næ exultent.

*V. 11. Circumdate Sion, & complectimini eam,  
narrate in turribus ejus.*

*V. 12. Ponite corda vestra in virtute ejus, &  
distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie al-  
terâ*

*Circumdate &c. muris, seu viris perfectis,  
qui reliquum populum defendant ab ini-  
micis: ex edito loco publicè prædicare;  
nam prædicatio Evangelii est instrumen-  
tum ædificandi. Seriò cogitate de muni-  
tione, & robore civitatis, ne pateat ho-  
stium incuribus. Post fundata, & ædi-  
ficata mœnia fundentur, & ædificantur do-  
mus; & quia ad hoc opus multi requirun-  
tur, distribuire variis operariis partes suas,  
ut domos ædificant, & sic civitas paulatim  
impleatur, & crescat; ut, per vos mul-  
tiplicato populo Dei, ad posteros trans-  
mittatis notitiam Dei.*

*V. 13. Quoniam hic est Deus, Deus noster in  
æternum, & in seculum seculi, ipse reget nos in  
secula.*

Hoc

Hoc est, quod narrandum est posteris.  
Quia hic Deus, qui fecit mirabilia in civi-  
tate S. Jerusalem, nec ipse recederet à nobis,  
nec nos ab eo, nos erimus in æternum  
populus ejus, & ipse erit Deus noster &c.

## PSALMUS XLVIII.

**T**itulus: *In finem filiis Core Psalmus, patet  
ex præcedentibus.*

Argumentum est adhortatio utilissima ad  
virtutem sectandam, & fugienda vitia.

V. 1. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipi-  
te omnes, qui habitatis orbem.*

V. 2. *Quique terrigena, & filii hominum, si-  
mul in unum dives, & pauper.*

Hæc est præfatio ad captandam atten-  
tionem, eoquòd oratio habenda conve-  
niat omnibus hominibus æqualiter, &  
præsentibus, & futuris, & diviti, & pau-  
peri. Itaque convocatur omne genus  
humanum ad audiendum; & quoniam ne-  
que locus ullus tantam multitudinem cape-  
ret, neque ulla vox oratoris à tam multis  
audiri posset; intelligere debemus, Pro-  
phetam prævidisse, Psalmos suos in omni  
terrâ, & in omni futuro tempore decan-  
tandos, & ideo omnes omnino ad audien-  
dum invitâsse.

L 4

Audi-

*Audite &c. auribus percipite, h.e. ita audite, ut sermo intra aures receptus ibi hæreat, ut attentè considerari possit. Quod dixerat, gentes, explicat, qui habitatis orbem, qui cunque, & ubicunque estis, qui habetis communem materiam, ex quâ facti estis, terram, & commune principium activum, Adamum hominem.*

*V. 3. Os meum loquetur sapientiam, & meditationis cordis mei prudentiam.*

*V. 4. Inclinabo in parabolam aurem meam, apertam in psalterio propositionem meam.*

Iterum præparat auditorem tum ex dignitate materiæ, tum ex dignitate docentis. Os meum docebit ea, quæ faciunt hominem sapientem in altissimis causis contemplandis; deinde ea, quæ cor meum diuturnâ meditatione concepit, quæque faciunt hominem prudentem in vitâ rectissimè instituendâ.

*Inclinabo &c. attingit magnitudinem Doctoris Spiritûs S. subjiciam aurem meam Spiritui loquenti, & obedienter audiam, & sic apertam propositionem mihi à Deo inspiratam. Per parabolam intellige propositionem obscuram, quæ attentionem, & studium requirit, ut intelligatur. Addit in psalterio, ut suavitas musicæ temperet gravitatem.*

gravitatem doctrinæ, eaque jucundiùs, & avidiùs suscipiatur.

*¶. 5. Cur timebo in die mala? iniquitas calca-nei mei circumdabit me.*

Jam ponit propositionem, quæ omnes omnino contingit: quid est, quod me terrere poterit in die judicii divini? Dein respondet: nihil omnino est, nisi iniquitas, & quidem illa extremæ vitæ meæ: illa enim velut murus circumdabit me, ut evadere non possim, quia cessat pœnitentia, & indulgentia.

*¶. 6. Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.*

Qui non timent diem malam, freti potentia, & viribus suis, illi etiam in multitudine &c.: existimant enim pecuniis omnia expugnari posse. Et licet in hoc sæculo magna vis inest divitiis; in die tamen malâ nullæ invenientur, neque, si invenirentur, prodeesse possent; unde.

*¶. 7. Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem suam.*

Frater non redimit, multò minus alius homo redimet: neque alium, neque se ipse liberare potest; licet omnes pecunias offerat ad placandum Deum in die malâ, nihil ei proderit.

L 5

*¶. 8.*

¶. 8. *Et pretium redemptionis anime sua, & laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.*

Quia placatio Dei est pretium redemp-  
tionis, quod solus unigenitus Dei dare  
potuit. Unde qui in divitiis suis confi-  
dit, laborabit in tormentis æternis, &  
vivet adhuc vitam voluptariam, quæ illi  
sola videtur esse vita, usque in finem à Deo  
constitutum.

¶. 9. *Non videbit interitum, cum viderit sa-  
pientes morientes: simul insapiens, & stultus peri-  
bunt.*

Non morietur stultus, confidens in di-  
vitiis, ante tempus, cum viderit aliquos  
sapientes ante tempus morientes; tandem  
tamen simul cum sapientibus stultus, &  
insapiens morientur. S. Basil. vocat insi-  
pientem, qui ad humana, & communia  
ineptus est; stultum, qui, neglectis di-  
vinis, terrenis solum intentus est.

¶. 10. *Et relinquente alienis divitiis suas, &  
sepulcra eorum domus illorum in æternum.*

Confidentes in divitiis probat verè stu-  
tos esse, quia divitiis uti nesciunt, easque  
relinquent iis, quos ignorant, aut qui ve-  
luti alieni ipsorum citò obliscuntur; sibi  
autem nihil retinent, nisi sepulcrum, in  
quo jaccré debent corpora, velut in ta-  
berna-

bernaculo, in æternum, sive donec genera-  
tiones, & generationes peragentur, sive  
usque ad mundi consummationem, ut di-  
citur v. seq.

v. 11. *Tabernacula eorum in progenie, & pro-  
genie, vocaverunt nomina sua in terris suis.*

Prima pars jam antè explicata est. Ad-  
dit: stulti illi, quia nomina sua scripta esse  
non sperant in cælis, ea scribunt in terris,  
h. e. parietibus, vel libris à se scriptis; vel  
hæredes sua nomina gerere curant &c.

v. 12. *Et homo, cum in honore esset, non in-  
tellexit, comparatus est jumentis insipientibus, &  
similis factus est illis.*

Occasione stulti, in divitiis confidentis,  
digreditur ad ipsum genus humanum co-  
argendum. Et sic homo, honoratus à  
Deo ratione, libertate, imagine divinita-  
tis, immortali animâ, imperio super om-  
nia terrena, non intellexit hunc honorem  
suum; sed comparatus est &c., dum more  
pecudum non prospicit futura, æterna;  
sed præsentibus inhiat, subjicit se corpo-  
ralibus passionibus &c.

v. 13. *Hæc via illorum scandalum ipsis, & po-  
stea in ore suo complacebunt.*

Hæc via, quam sequuntur, dum vi-  
vunt more bestiarum, hi mores offendи-  
cula

cula multa illis præbent, & ruinæ magnæ  
causa sunt illis, qui tamen, cùm malefe-  
cerint in sceleribus sibi gloriabuntur; quæ  
est summa calamitas.

*V. 14. Sicut oves in inferno positi sunt, mors  
depascet eos.*

Quoniam dixit, homines factos esse  
per peccatum similes bestiis, addit finem  
illorum fore, ut more ovium insipientium  
maestentur. Hinc patet tum multitudo,  
tum imbecillitas hominum, etsi hic ditissi-  
morum, & potentissimorum, qui ad in-  
fernum detrudentur: oves enim grega-  
tim conjiciuntur in stabula, & sinè ullâ re-  
sistentiâ ducuntur ad macellum. Et tum  
mors impiorum nunquam erit finienda.

*V. 15. Et dominabuntur eorum justi in matu-  
no, & auxilium eorum veterascet in inferno à glo-  
ria eorum.*

Et dominabuntur impiis damnatis justi,  
cùm illucescat dies resurrectionis, & ini-  
tium sæculi futuri: tum robur, & poten-  
tia eorum conteretur, erit inutilis instar  
vestis consumptæ, & laceræ, dum glo-  
riam habitaculorum mutabunt cum infer-  
no, carcere teterrimo, & vilissimo.

*V. 16 Veruntamen Deus redimet animam  
meam de manu inferi, cùm acceperit me.*

Addit

Addit nunc futuram sortem piorum, in quorum numero se ipse ponit. Impiis quidem accidet, quod dixi, sed contrarium mihi, & mei similibus: non patietur Deus animam meam rapi à manu inferi, nec deduci ad loca pœnarum, cùm de hoc mundo per corporis mortem accipiet me.

¶. 17. *Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domûs ejus.*

¶. 18. *Quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.*

Ex dictis concludit, exhortando justos pauperes, & à divitibus oppressos. Si videris inimicum tuum divitem esse factum, & gloriam domûs ejus multiplicatam per numerosam familiam, & multiplices dignitates propinquorum ejus, ne formides potentiam ejus, ne ob metum temporalis potentiae fortè offendas æternam omnipotentiam Creatoris. Nam dives post mortem, omnibus communem, nihil eorum, quæ hic possidebat, secum asportabit, nec sequentur eum ad inferos amici, famuli, honores, dignitates.

¶. 19. *Quia anima ejus in vita ipsius benedicitur: confitebitur tibi, cùm beneficeris ei.*

Ratio, cur gloria impiorum non comittetur eos. Impius in hâc solùm vitâ benedice-

dicitur, tum à Deo per beneficiorum temporalium collationem, tum ab hominibus per adulterationes: & vicissim impius laudabit te; & tibi gratias ager, si ei beneficeris; sin autem aliquid mali illi evenire permiseris, continuò te blasphemabit.

**V. 20.** *Introibit usque in progenies patrum suorum: & usque in æternum non videbit lumen.*

Impius post hanc vitam introibit ad ea loca, ad quæ illum præcessit progenies patrum suorum, quos secutus est in flagitiis, & justo judicio manebit in æternis nebris, qui nimirum delectatus est luce honorum, & gloriæ temporalis, & lucem gloriæ cœlestis non quæsivit.

**V. 21.** *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Repetit **V. 12.**, tum ut ostendat, præcipuam causam miseriæ hominum esse insipientiam, qui uti ratione nolunt; tum ne miremur, si pauci omnino ænigma in hoc Ps. propositum intelligant. Id enim indè accedit, quia *homo* propter peccatum comparatus est &c.

## PSALMUS XLIX.

**T**itulus: *Psalmus Asaph.*

I. Pa-

¶. Paralip. 16. legimus. Asaph fuisse Principem cantorum à Davide constitutum. Utrum autem ipse Psalmos composuerit, qui inscribuntur nomine ejus, an solum cecinerit, an canenti prefuerit, incertum est.

Argumentum Psalmi est duplex Domini adventus, unus ad prædicandum, alter ad judicandum; unus occultus, & in humilitate, alter manifestus, & in maiestate. Et quoniam in utroque adventu Christus congregat homines, vel ad fidem, vel ad judicium, rectè Psalmus inscribitur Asaph, qui interpretatur congregans. Addit, & declarat Propheta, quibus de rebus potissimum reddituri simus rationem in die judicii: proinde Psalmus utilissimus est.

V. 1. Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram.

Incipit à primo adventu. Dominus Christus, in hunc mundum adveniens, locutus est verba Evangelii sui, & ad sermones suos audiendos universam terram convocavit, dicens: *Venite ad me &c.* Matth. 11. Christus ostendit se Deum Deorum, cum terribilis fuerit dæmonibus, qui sunt Dii gentium, & ipse per adoptio-  
nis gratiam multos fecerit Deos, Angelos, sanctos homines.

V. 2. A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species docoris ejus.

Voca-

Vocavit omnes homines , quotquot ubivis terram inhabitant . Orta est autem prædicatio Evangelica ex Sion , quæ est species decoris ejus , seu species pulcerima . Erat Jerusalem urbs nobilissima , ornata sede regiâ , pontificiâ , tabernaculo , arcâ fœderis &c. ; unde erat typus cælestis civitatis .

*¶. 3. Deus manifestè veniet Deus noster , & non silebit.*

Prædicit secundum adventum . Deus veniet in potestate , & majestate magnâ ; & non silebit , sicut in primo adventu , quando ut agnus mansuetus ductus ad occisionem , non aperuit os suum , & sicut hoc tempore silet , dum peccata fieri videt , & tacet ; sed veniet cum rubâ , & clamore horribili .

*¶. 4. Ignis in conspectu ejus exardescet , & in circuitu ejus tempestas valida.*

Significat ignem , qui exuret omnia , quæ in terris inveniet , & commotionem maximam tum in terrâ , tum in mari , aëre , cælo , arescentibus hominibus præ timore , & expectatione , quæ supervenient universo orbi , *Luc. 21.*

*¶. 5. Advocabit cælum desursum , & terram discernere populum suum.*

Ex

Ex parte Mundi superiore advocabit  
Iudex omnes Angelos cæli habitatores, &  
ex parte inferiore omnes homines, quo-  
quot fuerunt: advocabit verò omnes ad  
judicandum populum suum, & segregan-  
dos electos à reprobis.

V. 6. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant  
testamentum ejus super sacrificia.

Alloquitur Angelos: adducite ad judi-  
cium sanctos ejus, h. e. populum Dei pe-  
culiare, quem sibi per Sacra menta tum  
Circumcisionis, tum Baptismi sanctifica-  
vit. Qui ordinant &c. qui pactum cum Deo  
feriunt, ut ipsi colant Deum sacrificiis, &  
Deus sit eorum Deus, & benefactor.

V. 7. Et annuntiabunt cæli justitiam ejus, quo-  
niam Deus Iudex est.

Congregatis omnibus ad judicium, tunc  
proferetur sententia in bonos, & malos,  
quam omnes cælites assensu, & laudibus  
justam esse confirmabunt, quia, qui judi-  
cabit, Deus est, in quem injustitia cadere  
non potest.

V. 8. Audi populus meus, & loquar: Israel,  
& testificabor tibi, Deus Deustuus ego sum

Transit ad futuram materiam judic' i, at-  
que ut admonitio majorem fidem h beat,  
Deum loquentem, & paternè admonen-

M tem

tem inducit. Attentè cogita, & considera, populus meus Israël, loquar notum faciendo tibi, quod tuā maximè interest: nam ego Deus sum, & ideo omnia novi; Deus tuus sum, ideo te amo, & utilia volo docere. Per Israël intellige omnes fideles.

¶. 9. *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.*

Summa doctrinæ divinæ est, Deum non indigere nostris muneribus. Non damna-bo te in judicio, quòd pauca mihi sacrificia obtuleris. Ratio prima: nam (Tò autem hebraicè pro enim) satís multa mihi quotidie sacrificantur.

¶. 10. *Non accipiam de domo tuā vitulos, neque de gregibus tuis hircos.*

¶. 11. *Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, & boves.*

¶. 12. *Cognovi omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est.*

Secunda ratio, cur Deus non magnope-re requirat nostra sacrificia: quia ipse est rerum omnium Dominus; & ideo, si ve-lit oves, aut boves, aut aves, aut aliud quid, nullo negotio habere potest, cùm ipse omnia noverit, omnia possideat. Per pulcriudinem agni intellige omnes fructus terræ, ex quibus agri pulcri, & divites red-duntur.

¶. 13.

v. 13. Si esuriero, non dicam tibi: meus est  
enim orbis terræ, & plenitudo ejus.

v. 14. Nunquid manducabo carnes taurorum?  
aut sanguinem hircorum potabo?

Ratio tertia. Non indigeo, & si indige-  
rem cibo, & potu, à te non peterem, quia  
omnia mihi præsto sunt. Nunquid manduca-  
bo &c. h. e. non vescore ego ejusmodi rebus,  
qui substantia sum spiritualis, & immortalis.

v. 15. Immola Deo sacrificium laudis, & red-  
de Altissimo vota tua.

v. 16. Et invoca me in die tribulationis, eruam  
te, & honorificabis me.

Docuit haec tenus, non esse spem ponen-  
dam in externis sacrificiis, quasi illa sinè in-  
teriori cognitione, & amore Dei sufficient:  
nunc docet in internis actibus virtutum  
consistere sacrificium, quo Deus delectatur,  
& quod nos in iudicio ultimo securos præ-  
stare poterit. Non solis labiis, sed ex intimâ  
cognitione, & amore Deum lauda: & post-  
quam Deum, ut est in se, laudasti, respice  
illum, ut est author, & fons omnium bono-  
rum tuorum, quia ex te nihil est; & redde  
illi gratiarum actionem, & solve tributum  
obedientiæ. Demum etiam in die tribula-  
tionis ad me confugere debes: ego enim  
eruam te de omni tribulatione, & tu vicif-

M 2 sim

sim honorificabis me sacrificio laudis , & gratiarum actionis.

¶. 17. Peccatori autem dixit Deus , quare tu enarras justicias meas , & assumis testamentum meum per os tuum ?

Post instructionem justorum docet iniquos fideles. Peccatorem Deus per me admonitum voluit : quare profiteris te scire legem meam , ut enarres præcepta mea , in quibus omnis justitia continetur ; & profiteris etiam ad te pertinere pactum meum , dum te filium Abrahæ esse gloriaris ; cum neque legem meam serves , nec pactum custodias , nec vestigia Abrahæ imiteris ?

¶. 18. Tu vero odiisti disciplinam , & projecisti sermones meos retrorsum .

Describit primò interna vitia iniquorum . Tu aversaris animo eruditionem divinæ legis , & factus es , quasi esses oblitus præcepta mea .

¶. 19. Si videbas furem , currebas cum eo , & cum adulteris portionem tuam ponebas .

Ex oblivione , & odio divinæ legis nascuntur peccata operis : meminit duorum , quæ sunt frequentissima . Non dicit furbaris , fornicabaris : nam furari , mœchari , quod occulte , & libidine stimulante fieri solet , minùs est , quam cum furibus concurrere , cum adulteris portionem ponere ,

quia hæc fiunt palam , & promptè , & ex animi perversitate potius , quām ex inopiâ , vel libidine.

*V. 20. Os tuum abundavit malitia , & lingua tua concinnabat dolos.*

Transit ad peccata oris. Abundanter ex ore tuo , tanquam ex fonte , scaturivit maleficentia : & loquebaris appositè ad fallendum , simulando , vel mentiendo .

*V. 21. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris , & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum : hæc fecisti , & tacui.*

Addit ad peccatum oris , quòd non solum adversus extraneos , sed etiam proprios fratres per linguam deliquerit. Non obiter , & per iram , sed sedens otiosus , & pacato animo , studiosè , & longo tempore detrahebas fratri , & adversus eundem fratrem calumnias struebas , unde ille offenderetur , & ruinæ occasionem haberet. *Hæc fecisti , & tacui , h. e. non statim punivi , ut darem locum pœnitentiæ. Interim juxta V. 3. veniet dies , quo non silebit , ideo subjungit.*

*V. 22. Existimasti iniquè , quod ero tui similis , arguam te , & statuam contra faciem tuam.*

Dum sinè timore Dei peccant impii , vindicentur existimare Deo non displicere peccata , illum esse peccatorum amicum , sed

non ita est ; imò arguam te in die judicij  
& faciam, ut videas gravitatem, & multi-  
tudinem peccatorum tuorum , & negare  
non possis sententiam contra te latam esse  
justissimam.

*V. 23. Intelligite haec, qui obliviscimini Deum,  
ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.*

Exhortatur impios, qui obliviscuntur  
Deum esse judicem justum, & omnipoten-  
tem. Attentè considerate, quæ dicta sunt,  
ne, dum nihil minus cogitatis. Deus vos  
ad judicium adducat, & pro meritis dam-  
net ; & non sit, qui de manu ejus possit eri-  
pere.

*V. 24. Sacrificium laudis honorificabit me, &  
illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

Concludit, viam salutis ad unum sacri-  
ficium laudis reduci. Qui sacrificaverit  
laudem mihi, ille mihi acceptus erit, nam  
ab eo honorificatum me confitebor, & illic,  
in eo sacrificio iter erit ad salutem : nam per  
illud iter perveniet ad locum, in quo osten-  
dam illi divinam, plenam, & perfectam sa-  
lutem.

### PSALMUS L.

**T**itulus: *In finem Psalmus David, cùm venit  
ad eum Nathan Propheta, quando introivit  
ad Bethsabee.*

*Sensus*

Sensus tituli est: *Psalmus in finem usque mundi canendus, quem David composuit, quando venit ad eum Nathan Propheta, qui tunc ad eum increpandum venit, quando intravit idem David ad Bethsabeam, uxorem Uriæ, atque adulterium cum eâ patravit. Vide l. 2. Reg. c. 12.*

¶. 1. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*

David miserum se agnoscit, & confiteatur ob iniuriam admissam, quamvis aliqui naturæ, & fortunæ bonis omnibus abundaret: nec contentus parvâ illâ misericordiâ, quâ Regni gloriam, opes, filios, victoriam de hostibus &c. acceperat, petit misericordiam magnam, remissionem peccati, & gratiæ restitutionem.

¶. 2. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniuriam meam.*

Idem repetit, & declarat, petirque, ut Deus non agat secum ex rigore justitiæ, sed ex paternâ misericordiâ remittat debitum peccati, & lavet maculam restituendo nitorem gratiæ. Multitudo miserationum significat affluentiam pietatis Dei, & hebraicè, propriè paternum, ac tenerum amorem.

¶. 3. *Amplius lava me ab iniuriate mea; & à peccato meo munda me.*

Post culpam remissam, & gratiam resti-

M 4

tutam,

tutam, remanent mali habitus vitiorum, & ipsa concupiscentia carnis; priores quidem paulatim exterminantur exercitatione virtutum; concupiscentia verò potest quidem minui, sed ante mortem ordinariè non eradicatur. Ad utrumque multum valet diligentia nostra; sed præcipuæ partes sunt gratiæ Dei, sinè quâ nihil, cum qua omnia possumus. Unde David: *amplius lava &c.* spero peccatum meum per gratiam tuam esse deletum, & animam meam lotam, & mundatam à reatu, & maculâ per actionem peccati contractâ; sed cupio, & peto iterum, atque iterum lavari per gratiæ incrementum, ut anima mea candidior, & ad resistendum temptationi fortior evadat.

*V. 4. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco,  
& peccatum meum contra me est semper.*

Ratio secunda, quâ Deo persuadere conatur, ut indulgeat peccanti: non excuso, non nego, nec solùm agnosco, sed perpetuò de peccato meo cum dolore animi cogito: nam in conspectu meo positum, ine cruciare non cessat.

*V. 5. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci,  
ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm ju-  
dicaris.*

Tertia ratio postulandi veniam, quia non  
alium

alium judicem timet, apud quem convinci posset peccati, quod factum erat sive teste, nec ex suspicione fama peccati in vulgus diffusa, ad legitimè probandum sufficiebat. Dico, *Tibi soli*, tanquam judici, à quo convinci possum, *peccavi*, dico, *malum coram Te feci*, confiteor me injustum, ut justus, & verax inveniaris in sermonibus tuis, quibus per Nathan Prophetam me adulterii, & homicidij reum esse pronuntiasti. *Et vincas &c.* est repetitio ejusdem, ac si dicat: & si judicium inter te, & me instituatur, & ego negare velim crimen, cuius tu me reum esse dixisti, tu omnino vincas causam, & ego eā cadam, cūm mecum judicaris.

*V. 6. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,  
& in peccatis concepit me mater mea.*

Quarta ratio à peccato originali, quod est fons omnium aliorum peccatorum, ex quo facti sumus infirmi, & proclives ad peccandum, & ob hanc quasi naturalem misericordiam digni sumus.

*V. 7. Ecce enim veritatem dilexisti, incerta, &  
occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.*

Quinta ratio à veritate, & simplicitate cordis Davidis, quam Deus maximè diligere solet. Ecce tu, Deus, veritatem, & sinceritatem cordis semper amasti; & quia rec-

M s titu-

titudinem cordis in me invenisti, ideo tam multa mihi patefecisti mysteria divina, *incerta*, h.e. nobis secretissima, & occultissima, quæ signa sunt infinitæ sapientiæ tuæ. Intellige hic illa, quæ sapientia divina ordinavit ab æterno, ut fiant temporibus suis, sed abscondita nobis sunt, antequam fiant, nisi speciali privilegio revelentur. Docet hic S. Chrys., nullum ferè esse mysterium Christi, & Ecclesiæ, quod David in Psalmis non prædixerit.

*¶. 8. Asperges me hyssopo, & munda bor: lava-  
bis ms, & super nivem dealbabor.*

Aperit hic unum ex mysteriis, nempe Baptismum nostrum, cuius figura erat ceremonia illa Num. 19.: tria ibi ad expiationem requiruntur: cinis vaccæ rufæ immolatæ, ecce figuram mortis Christi: dein aqua cineribus mixta; ecce figuram Baptismi: demum hyssopus, quâ aqua aspergebatur, ecce figuram fidei: hyssopus enim est herba humilis, radicem habens in petrâ. Petit itaque David purgationem, quam novarat figuratam, per expiationem aquæ hyssopo aspersæ, & quam implendam prædicebat in Baptismo. Dicit, *asperges*, non, asperget sacerdos &c. ut ostendat, illius expiationis primarium authorem esse Deum.

Addit,

Addit, lavabis me &c., ut demonstret expiationem Baptismi fore perfectissimam, ut non solum verè tollat peccata, sed & gratiam copiosam infundat.

V. 9. Auditui meo dabis gaudium, & latitiam,  
& exultabunt ossa humiliata.

Effectus, & signum justificationis est, cùm spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Hoc testimonium in se aliquando expertus David, iterum illud petit. Cùm me perfectè laveris, etiam interiori quodam gaudio, tanquam signo remissi peccati, me mirabiliter afficias; quod gaudium erit veluti bonus nuntius, quem cordis aure jucundè percipiam. Et tunc animus, timore confractus, resumptis viribus, exultabit. Per ossa intellige vires animi juxta v. 18.

V. 10. Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Quod prædictum futurum: Asperges me &c., jam sibi postulat. Dicitur Deus avertere faciem, vel oblivisci, quando considerat quidem peccata, sed non ut puniat. Petit etiam ea deleri, h. e. ut nunquam omnino puniat. Qui avertit faciem à scripturâ aliquâ, potest iterum faciem convertere, & scripturam considerare; at qui illam delet, non potest

am-

amplius legere. Facit hoc contra Hæreticos, qui docent, peccatum in justificatione non imputari, sed tamen manere.

V. 11. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Petit, ut non solum peccata deleat, sed etiam justitiam infundat, quæ animam renovet, ac formosam, & splendidam redat; unde Hæretici erroneè justificationem in solâ peccatorum remissione constituunt. Crea munditiem in corde meo; nec enim peccando cor, sed ejus mundities perit. Hanc dicitur creare, quia Deus in corde impii nihil invenit, unde munditiem in illo efficiat: Deus enim ex magnâ suâ misericordiâ sinè ullis meritis homines justificat; imò quæ disponunt ad justificationem, fides, & pœnitentia, sunt omnia dona Dei. Innovatur spiritus rectus in visceribus, si, corde mundato per gratiam, renovatur in animâ pia affectio, seu charitas in Deum, quæ per peccatum amissa erat, & in cuius locum cupiditas distorta successerat.

V. 12. *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

Memor fragilitatis suæ, petit donum perseverantiae. Ne sinas me iterum labi in peccatum, ne forte in perpetuum à gratiâ tuâ

tuâ me removeas : parùm enim mihi prod-  
esset lavari, dealbari, innovari, si tandem à  
facie tuâ cum reprobis projiciendus essem :  
quod ne fiat, donum perseverantiæ mihi  
tribue, efficiendo per gratiam tuam , ut  
Spiritus tuus S. jugiter in me manens, spi-  
ritum rectum in visceribus meis conser-  
vet. Sic docet Ecclesia contra Vincentia-  
nos, neminem à Deo deserit, nisi priùs ipse  
deserat Deum , h.e. non auferri Spiritum  
S. à justis , nisi ipsi peccando spiritum in se  
extinguant: ne tamen homo peccet , &  
spiritum extinguat, ad donum perseveran-  
tiæ pertinet, de quo 2. Cor. 13. *Oramus, ut*  
*nihil mali faciatis :* unde hic *Spiritum S. &c.*  
non significat : non auferas, si peccavero;  
sed , ne auferas, ut non peccem.

¶. 13. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, &*  
*spiritu principali confirmame.*

Prædictit ¶. 9., post veram justificatio-  
nem secuturum in homine internum gau-  
dium, ex testimonio spiritûs intus loquen-  
tis, hunc justificationis effectum petit, post-  
quam petiit remissionem peccati, infusio-  
nem gratiæ, & donum perseverantiæ. Per  
peccatum amisi gratiam , & lætitiam con-  
sequenter: ideo sicut petii gratiam amis-  
sam mihi redi, ita consequenter peto reddi  
læti-

lætitiam, quæ nascitur ex donata à te mihi salute: ac ne fortè lætitia extollat, & periculosa securitatem in- ducat, peto, ut stabilias, & confirmes me in bono per spiritum principalem, mihi à te inspiratum. Spiritus principalis referri potest vel ad ipsum Spiritum S., qui est princeps omnium spirituum, & munificentissimus fons omnium bonorum; vel ad affectum ipsius Da- vidis, qui petitur à Deo talis, qualis decet optimum Principem, qui debet esse spontaneus erga Deum, & liberalis erga populum.

*V. 14. Docebo iniquos vias tuas, & impi ad te convertentur.*

Exponit fructum justificationis, quæ redundabit in gloriam Dei, & multorum utilitatem. Ego à te recep- tus in gratiam, post tam graves offensas, docebo & ver- bis, & exemplis vias tuas, misericordiam videlicet in remittendo peccato meo, & justitiam in eodem pu- niendo. Et certè hoc exemplum non solum profuit hominibus istius saeculi, sed etiam ceteris omnibus us- que in finem mundi. Verisimile est, Davidem post suam reparationem multis prædicasse divinam indul- gentiam, & non paucos peccatores ad Deum fuisse conversos.

*V. 15. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea justitiam tuam.*  
Oraverat pro ablutione peccati, promiserat se doctu- rum peccatores vias Dei; nunc orat pro liberatione à pœnâ. Libera me à voce multi sanguinis Uriæ, qui à me injustè fusus, clamat ad te, & vindictam contra me exposcit. Deus Deus &c. nam proprium est Salvato- ris liberare ab imminenti periculo. Et exultabit exul- tando, & vociferando laudabit justitiam tuam; nam liberatio, & salvatio vera per meritum Christi prævisi fiebat,

ſiebat, ut nunc fit per meritum Christi reipsā exhibiti. Meritum autem Christi exquisitissimē justitiam contineat, & talem, ut toto corde, & maximā vocis contentionē laudari mereatur.

*V. 16. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.*

Quia iustificasti, & liberasti me, Domine, labia mea, quæ te aliàs laudare solebant, & per peccatum clausa fuerant, indulgendo, & condonando peccata; & fiduciam, & lètitiam restituendo aperies; & tunc prædicabo misericordiam, & justitiam tuam, non solum præsentibus, sed etiam futuris hominibus.

*V. 17. Quoniam si voluisses sacrificium, dediſsem utique, holocaustis non delectaberis.*

Ideo os meum annuntiabit laudem tuam, quia sacrificio laudis delectari te scio, non sacrificiis peccatorum: nam si ea tibi placerent, non distulissem ea offerre. Non dicit, sacrificia peccatorum nullo modo placere, cùm erant à Deo instituta, sed vult, quod ex se se non sint opus Deo gratum; item non placent, si conferantur cum sacrificio Eucharistie; demum eorum gratiā nullo modo peccata condonabantur.

*V. 18. Sacrificium Deo spiritus contribularus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.*

Explicat clarius, quod sacrificium laudis Deo placeat, illud videlicet, quod ex corde per dolorem contrito, & humiliato procedit, dum nempe homo agnoscent suam miseriam, & misericordiam Dei, humiliatur sub potenti manu Dei, & illi honorem, & gloriam, sibi autem ignominiam, & confusione tribuit.

*V. 19.*

**V. 19.** Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut adfiscerentur muri Jerusalem.

Ultima ratio placandi Deum, & imperrandi perfectam justificationem. Si ego dignus non sum, qui exaudiar, respice civitatem, cuius ego sum caput, & illi benefac servando caput illius, juxta beneplacitum tuum, quo tibi complacuit, hanc civitatem tibi eligere in propriam, & peculiarem iedem; ut sic muri Jerusalem, qui corruerunt, iterum adfiscerentur. Vocat muros Jerusalem se ipsum, qui instaurorum totum populum custodiebat, & defendebat. Sic Isa. 26. Christus dicitur murus, & antimurale.

**V. 20.** Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.


Effectus justificationis sunt opera justitiae, quæ placent Deo, ut vera sacrificia spiritualia. Cum ego perfectè justificatus fuero, acceptabis bona opera mea, & populi mei, quæ erunt vel spirituales oblationes, vel spiritualia holocausta. Oblationes quidem sunt, cum quis ex caritate donat bona sua, eleemosynas ergando; holocausta verò, cum donat se rotum in Dei obsequium. Cum viderint homines ista sacrificia justitiae acceptissima tibi esse, accurrent multi, & certatim imponent super altare tuum saeficia, non quæcunque, sed præstantissima, nempe vitulos, intellige opera justitiae perfecta.

F I N I S.













BEDJAR  
SIN  
PSALMO